rich	v. Geschütz;
niel —	

REFUTATIO THESIUM,

De Sacrosancta unitate Divinæ essentiæ, & in eadem Sacrosancta personarum Trinitate,

a IACOBO SCHOPPERO SS. Theologiæ Doctore & Professore primario

Altorfii anno 1613. propositarum.


Cui addita est responsio ad ea, quæ HERMANNUS RAVENSPERGERUS S.Th: Doctor, in Gymnasio Steinfurtensi præter hæc attulit, in scripto, cui titulum fecit: SS. Mysterium unitatis essentiæ divinæ in personarum Trinitate, duabus sectionibus per Theses & exegeses explicatum, *&c.*

scripta

a

VALENTINO SMALCIO.
Cœtus Racoviensis Ministro.

Ex libris Jacobi Sieniensk[i] Palat[ini] Podol. in Rakow



RACOVIÆ,
Typis Sternacianis,
Anno 1614.

REFUTATIO THESIUM
De S. Trinitate D. IACOBI SCHOPPERI.

THESES de S. Trinitate, crassâ, ut ajunt, Minervâ, D. Schopperus nuper edidit. Has refutandas eo fine sumsi, ut, qui alia nostrorum prolixa ea de re scripta, hactenus non viderunt, habeant, unde judicium de hoc Trinitatis dogmate ferre possint. Causa refutationis.

Primùm igitur definitionem nobis Thesi 2. DEI affert, ex locis communibus D. Philippi. Sed lapsus hic in ipso disputationis limine nimis gravis est. Nam in rebus divinis autoritate tantùm divina standum esse hactenus vos Evangelici, constanter nobiscum contenditis: In rebus divinis sola autoritas divina valet. Philippus autem Melanchthon, quantumvis vir magnus fuerit, non est ex numero illorum, nec ipsemet esse voluit, quorum autoritas nobis pro regula fidei censenda sit, præsertim quòd non pauca, quæ in hoc verboso commentariolo potiùs quàm definitione continentur, mera sint petitio principii. Ad convincendum autem adversarium ea afferenda sunt, quæ ipsemet vera esse diffiteri non possit.

Probat deinceps Schopp: a thes: 4. usque ad 16. tum testimoniis sacrarum literarum, tum rationibus, unitatem divinæ essentiæ. Quæ, quia a nobis etiam conceduntur, nunc omitto. Duo autem annotare libet. Vnum est, Quo jure infrà thesi 46. reprehendat Arianos, quos multa argumenta ex ratione humana desumsisse ait, cùm ipsemet thes: 9, 10, & 11. tria argumenta ex ipsa etiam humana ratione depromta afferat? Num quod Schoppero licet, non licuit aliis? Alterum est, Quàm aptè thesi 12. dicat: *Et sciendum est, Deum unum esse essentiâ, non tantùm consensu,* cùm hactenus de pluralitate personarum in divinitate nihil dixerit, sed de sola Dei essentiæ unitate agat: hæc autem, quæ de unitate concordiæ differit, non nisi respectu personarum, quas in divinitate statuit Schopperus, dici possint. *Schopperus sibi non constat.*

Thesi 16. fatetur Schop:, vocem Trinitatis in sacris literis non extare, rem tamen ipsam satis claram esse. An res clara sit, quam voce Trinitatis Schopperus intelligit, postmodum videbimus. Nunc hoc dico: Siquidem vox Trinitatis in sacris literis non extat, quod nuper etiam D. Graverus in 1. thesi de Spiritu S. confessus est, non esse necessariò ad salutem a quoquam exigendum, ut Trinitatem, qualem intelligit Schopp:, nempe quòd Pater Filius & Spiritus sanctus sint tres diversæ personæ, & rursus hæ personæ sint una essentia, credat. Quicquid enim ad salutem necessarium est simpliciter, id totum in literis sacris ad literam scriptum esse necesse est. Necessaria ad salutem extant omnia in sacris literis.

Si quis est, qui Athanasium, Sathanasium appellat, quod queritur

thesi 17. id nobis omnibus fraudi esse non debet. Tales enim cavillationes & convitia prorsus indigna esse homine Christiano agnoscimus, & fugienda omnibus piis censemus.

Convitia fugienda.

Quid sit Trinitas ex mente veterum.

Vocem Triadis usitatam fuisse ante Athanasium, etiamsi concedamus, nihil juvabit Schopperum. Nec enim ista significatione id factum esse docebit D. Schopperus, quâ ille vocem hanc nunc accipit: sed eo sensu vox ista usurpata fuit, ut Patrem, Filium & Spiritum sanctum, & doctrinam de illis tribus significaret. Nam sine institutione de his tribus, & confessione horum trium neminem Christianum esse posse, Christi verba, *Ite, facite discipulos omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris Filii & Spiritus sancti*, satis luculenter ostendunt.

Matth. 28. 19.

Errores Schopperi.

Deinde Schopperus a thesi 19. usque ad 39. testimonia affert, quibus probare conatur mysterium suæ Trinitatis. Sed duplex error est in ista probatione Schopperi. Primùm enim in plærisque nihil extat de Trinitate illa, ut sic loquar, h. e. de Patre, Filio, & Spiritu sancto. Deinde ea etiam, in quibus Trinitatis, hoc est, Patris, Filii, & Spirit. S. fit mentio, Trinitatē Schopperi nullo modo probant. Trinitatem illam, hoc est, quòd sit Pater Filius & Spiritus sanctus, non probat primùm locus Gen: 1., quem thesi 19. affert Schopperus, *In principio creavit* Dii *cælum & terram*. Nam vox *Dii* non personarum sed Deorum multitudinem denotat. Quia verò multitudinem Deorum aversatur Schopperus, loquendi modum Hebraicum agnoscat necesse est, admodum familiarem isti linguæ, quo, loco numeri singularis, pluralis usurpatur, præsertim verò in iis vocibus, quæ imperium, dominationem, potentiam gubernationemvé aliquam declarant, ut patet etiam in nominibus Adon & Baal, quæ numero plurali tunc etiam efferuntur, quando de uno tantùm homine sermo est, ut ab hominibus linguæ Hebraicæ peritissimis observatum est. Adde, quòd etsi vox *Dii* personas significaret, non tamen constaret, an duæ vel tres vel quatuor intelligendæ essent. Non enim posito numero plurali, necessariò ponitur ternarius, ut posito ternario, ponitur pluralis. Sed tandem, audiamus testimonium viri inter Evangelicos magni, & minimè suspecti, Iohannis Calvini, quem etiam doctissimum interpretem quidam appellare non dubitant. Is sic scribit in hunc locum: *Nomen Elohim pluralis numeri habetur apud Mosen, unde colligere solent, hîc in Deo notari tres personas. Sed quia parum solida mihi videtur tantæ rei probatio, ego in voce non insistam. Quin potiùs monendi sunt lectores, ut sibi a violentis ejusmodi glossis abstineant. Putant illi, se testimonium habere adversus Arianos ad probandam Filii & Spiritus S. divinitatem: interease involvunt in errorem Sabellii, Quia postea subjicit Moses, Elohim*

De loco 1. ex cap: 1. Genes.

Cur numero plurali Dii appellentur.

Pagnin. in thesau ro linguæ sacræ.

Testimonium Calvini.

bim locutum eße, & Spiritum Elohim incubuiße aquis. Si tres personas notari placet, nulla erit earum distinctio. Sequetur enim & Filium a seipso genitum, & Spiritũ non eße Patris sed suipsius. Hactenus Calvinus. De Spiritu porrò, cujus Moses meminit, non constat, an sit Spiritus ille sanctus, de quo nunc nobis sermo est. Non desunt enim, qui per vocem *Spiritus*, & *Spiritus Domini*, ventum & ventum magnum indicari censent, ut Psal: 146. *Flabit Spiritus ejus, & fluent aquæ;* & addunt: Cum Hebræi magnitudinem alicujus rei significare volunt, adjiciunt hoc nomen Deus, ut Psal: 67. *Mons Dei, mons pinguis.* Vnde etiam Paraphrastes Chaldæus loco *ferebatur*, habet flabat.

Fr: Vatablus.

Spiritus de quo Gen: 1. quid sit.

Alter locus, quando dicitur: *Fiat lux, Fiat firmamentum in medio aquarum*, minùs etiam ad rem propositam facit. Nam nec Trinitas hinc ulla personarum colligi potest, etiamsi tandem Filius Dei intelligatur per vocem *dicere:* nec ipsa verba talem sensum admittere ulla ratione possunt, ut per verbum *dicere*, filius Dei intelligatur. Nam his verbis, *Deus dixit*, non persona, per quam Deus creârit, sed modus, quo creavit, indicatur. Modus autem ille quis sit, jam pridem eruditi exposuêre. *Dicere pro jubere, utuntur Hebræi*, ait Vatablus. Alii accipiunt *dicere* pro *velle* vel *decernere*, & ita vertunt, *Decrevit aut voluit Deus lucem fieri, & facta est.* Quod verò huc affertur ex Psal: 33. ejusdem est valoris. Nam & ibi, *verbum Domini, & Spiritus oris ejus*, non personas a Deo distinctas significant, sed solùm Dei decretum & pronunciatum, ut idem Vatablus pereleganter super hunc locum scribit: *Verbum Dei*, ait, *& Spiritus oris ejus pro eadem re dixit, q. d. præcipiente Domino cæli facti sunt, & eodem jubente omnis ornatus eorum.* Idem: *Figuratè spiritum oris pro ipsa pronunciatione sumit, ac si dictum eßet: Simul ac halitum vocis suæ emisit Deus, vel protulit verbo, quid vellet fieri, cælos repente extitiße, & quidem incredibili stellarum copia & varietate extructos.* Imò etiam addit: *Alibi scripturam docere æterno illo sermone mundum creatum eße*, ut scilicet hîc de eo non agi ostendat. Idem super v: ejusdem Psalmi 9. *Ipse dixit, & facta sunt, ipse præcipit, & extiterunt*, hæc pauca etiam scribit, *q. d., omnia solo suo nutu creavit.* Quòd denique huc verba Ioh: 1. *omnia per ipsum* (sermonem) *facta sunt*, afferuntur, id magnæ in rebus divinis tractandis Schopperi negligentiæ, ut quàm levissimè dicam, indicium est. Nec enim ubique, quando de Verbo sermo est, de eodem verbo sermo est. In loco Genes: & Psal: de Dei decreto & præcepto sermonem esse jam docuimus: Iohannem verò de persona loqui, omnes confitemur. In Genes: & Psal: de verbo sermo est: Iohannes verò de Sermone loquitur. Differunt autem Verbum & Sermo, ut pars & to-

De loco 2. ex cap: 1. Gen.

Quid sit *dicere*, Gen: 1.

De loco Psal: 33.

Quomodo differant loci Gen: 1. & Ioh: 1.

tum. Vnde eruditissimi interpretes vocem Verbi, in Iohannis Evangelio planè repudiârunt, & Sermonis substituerunt. Adde, quòd, in Gen: & Psal: de creatione sermonem esse, nemo neget: At apud Iohannem de creatione sermonem esse, jure negari potest. Est enim in Græco vox ἐγένετο, facta sunt. Fieri autem possunt alia etiam, quæ non creantur. qualia sunt ea omnia, quæ ad Evangelium tum annunciandum tum confirmandum pertinent, de quibus ibi sermonem esse alibi a nostris disputatum est, & nuper etiam a me demonstratum, in responsione ad libellum M. Smiglecii Iesuitæ, cui titulum fecit, *Verbum caro factum est.*

De loco 3. ex cap: 1. Gen.

Tertius locus est thesi 20. *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* Hinc verò primùm, si pluralis numerus vim suam obtinet usitatam, tantùm pluralitas personarum, non verò earum Trinitas elicitur, ut anteà monuimus. Deinde nec pluralitas inde elicitur, cum certum sit numerum pluralem pro singulari sæpissimè usurpari, tum apud sacros tum apud prophanos autores, non solùm in Hebraica, sed etiam in Græca & Latina lingua. Denique si suus orationi divinæ ornatus sartus manere debet, quâ scilicet se Deus ad aliquid faciendum cohortans introducitur, aliter Deus loqui non potuit. Nam si dixisset *Faciam*, in singulari numero, jam id futuri temporis fuisset, & decretum loquentis simpliciter significasset, nullam verò sui ipsius ad id faciendum cohortationem continuisset. Quæ sui metipsius cohortatio rectissimè per numerum pluralem exprimitur, per singularem verò minimè. Quod verò ait Schopp: thesi 21. *Deum illa civili gloriola non uti*, quia per hanc gloriolam, usurpationem numeri pluralis pro singulari intelligit, mirum id videri debet. Nec enim civilis illa gloriola est, sed elegans quid & decorum censendum est, ut qui imperant & dominantur, de seipsis loquentes pluralem numerum pro singulari usurpent. ut 1. Reg: 12. 9. & 2. Par: 10. 9. ubi Roboamus Rex dicit juvenibus, qui secum educati fuerant, quique ei ministrabant: *Quid consulitis vos, ut respondeamus populo isti*, &c. & 1. Reg: 22. 3. Achabus cum servis suis verba faciens ait: *Scitisné, quòd nostra sit Ramoth Gilead? Nos autem cessamus tollere illam de manu Regis Syriæ.* Christus etiam ait: *Amen amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum nemo accipit*, & tamen ipsum de se solo loqui, tum ipsa res apertè docet. nemo enim erat, quem sibi socium ea in re, de qua cum Nicodemo loquebatur, facere posset; tum sequentia verba declarant. inquit enim: *Si terrena dixi vobis & non creditis, quomodo si dixero cælestia, credetis? Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo*, &c. & infrà de eo ait Baptista,

Cur plurali numero Deus loquatur.

Exempla similia.

Ioh. 3. 11.

v 12.

sta, *Qui de cælo venit, super omnes est, & quod vidit & audivit, hoc testatur, & testimonium ejus nemo accipit*. Idem Christus Mar: 4.30. *Cui assimilabimus*, inquit, *regnum Dei, aut cui parabolæ comparabimus illud?* Cùm tamen de se uno loquatur, ut patet ex Luc: cap: 13.18. qui ita habet: *Cui simile est regnum Dei, & cui assimilabo illud?* Et hinc est quòd testantur sacræ literæ, *Christum docuisse tanquam autoritatem habentem*. Sed quid opus est verbis multis, cùm apud ipsos Græcos & Latinos frequentissimum sit, ut privati homines, cum de seipsis loquantur, plurali numero pro singulari utantur, ut infinita exempla unumquemque docere possunt. Non est autem necesse, ut semper id factum sit, quod interdum factum legimus. Quare etiamsi in proclamatione Legis Deus id non fecerit, ut ait Schopp:, hinc nullo modo sequitur, eum alibi id non fecisse.

℣ 11,32.

Matth:7.29.

Delirium Iudaicum appellat Schopp: thesi 22., si dicatur, Deum, dum dixit, *Faciamus hominem*, &c. allocutum esse angelos. Sed nos nihil hactenus videmus ab adversariis allatum, quo absurditas aliqua hujus opinionis doceri possit. Nam quòd ait 1. Schopp:, *Angelos non adjuvisse Deū in faciendo homine, cum id opus solius Dei omnipotentis sit*, non animadvertit primùm, dici posse, Deum allocutum esse angelos, etiamsi nihil prorsus eum adjuturi essent, ut scilicet coram illis rem illam tanquam singularissimam exponeret, quæ diversum aliquid a creatione reliquarum rerum futura esset. Nam ad alia a Deo creata non legimus talem locutionem adhibitam fuisse. Deinde non perpendit etiam, quantumvis solus Deus hominem creârit, potuisse tamen aliquam angelorum operam accedere ad istam creationem. Nam antequam homo verè homo esset, formatum primùm e terræ pulvere eum legimus, & deinde inspiratum seu insufflatum fuisse in faciem, seu potiùs in nares ejus, spiraculum vitæ, id est, spiritum vitalem. Hæc autem licet a Deo facta sint, ministerio tamen angelorum fieri potuisse & proinde facta esse, nihil prorsus prohibet. Denique si vox *creare*, ut nonnulli non injuriâ existimant, idem significat, quod materiei novam formam indere, idque non solo jussu, necessariò & perpetuò, magis adhuc apparebit, nihil absurdi esse, si ministerio angelorum Deus usus fuisse dicatur in creatione hominis. Quemadmodum etiam legimus Deum operâ angelorum in Christi resurrectione usum esse. Angelus enim descendit & lapidem a monumento revolvit, cùm tamen ea actio solius Dei sit, unde etiam ita describitur, Is qui Iesum ex mortuis resuscitavit. Et Christus Iesus eorundem angelorum operâ usurus esse legitur, in ultimo judicio, ad congregandos fideles ex quatuor ventis, quantumvis illi soli judicium tribua-

Quomodo dici possit, Deum operâ Angelorum in creatione usum esse.

Gen. 2. 7.

Matth.28.2.

Rom.4.24. & 8.11.

Matth.24.31.

tribuatur. Alterum quod affert Schopp: *Hominem non eße conditum ad imaginem angelorum, sed solius Dei*, falsum prorsus censendum est. Nusquam enim legitur, nos ad *solius* Dei imaginem creatos esse. Facile autem fieri potuit, ut is, qui ad imaginem Dei creatus fuit, creatus etiam esset ad imaginem angelorum. Cum enim imago Dei consistat vel in ratione vel imperio, vel utroque simul, quid convenientius est, quàm hominem creatum esse dici ad imaginum angelorum? Cùm & ipsi non minus ratione & mente præditi sint, & imperium habeant, ob quod etiam throni, dominationes & principatus appellantur Hæc diximus, non ut Iudæorum sententiam prorsus approbaremus, sed ut infirmitatem argumentorum eorum, qui eam improbant, ostenderemus.

Quomodo dici possit, hominem creatum ad imaginem angelorũ.

Gen. 1 26.

Col. 1. 16.

De loco Gen: 3.

Quartus locus, de quo thesi 23. est Gen: 3. *Ecce Adam factus quasi unus ex nobis*, &c. Hinc verò pluralitatem personarum nullam colligi, hinc apparet, quòd Deus respectu angelorum, qui tunc præsentes aderant, ita loqui potuit. Mox enim additur: *Nunc ergo, ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum*, &c. Hæc verò verba ad angelos, quorum ministerio ad periculum illud cavendum Deus usurus erat, facta fuisse, admodùm verisimile est. Vnde Franciscus Vatablus post vocem, *Nunc ergo*, ait subaudiri posse, *Vos angeli videte sive cavete ne mittat*, &c. Ministerio autem angelorum Deum ea in re usum fuisse, declarat sequens narratio: *Et emisit eum Iehova Deus de horto Heden ad colendum terram, de qua sumtus fuerat. Ejecitque Adam, & collocavit a plaga orientali horti Heden Cherubim, & laminam gladii versatilis ad custodiendam viam ligni vitæ.* Et sensus erit: Ecce Adam factus est, sicut unus ex nobis, nempe cælitibus, & qui ab iis, qui terram incolunt, longè disjuncti sumus. Præterea etiamsi Deus respectu sui solius id dixisset, tamen angeli non exciperentur. Ii enim nomine Dei vel Iehovæ intelliguntur, ut Psal: 115. 16. *Cæli, cæli*, inquam, *Iehovæ, terram autem dedit filiis hominum*. Vbi nemo non videt, Iehovæ nomine ipsos etiam angelos, ut famulitium Dei, contineri. Denique vocem, quæ conversa est, *ex nobis*, converti posse, *ex ipso*, vel *ex seipo*, linguæ Hebraicæ non imperiti norunt, ut sensus sit, isque peregregius: *Ecce Adam factus est tanquam unus ex illis, qui ex seipsis, hoc est, nullo præmonstratore egentes, per seipsos bonum & malum cognoscunt.* Quo sensu admisso, quid ad pluralitatem personarũ locus hic proficiat, viderit ipse Schopperus.

Deus Angelos allocutus est.

Deus & Angeli pro eodem accipiuntur interdũ.

Lectio diversa loci.

De loco Gen: 11.

Quintus locus, Gen: 11. *Descendamus & confundamus*, cum tertio conjungendus erat. Ejusdem enim uterque roboris. Addam autem hîc illud, quòd Deus isto modo locutus fuisse peregregiè dici possit,

quatenus

quatenus verba ipsius, *Venite descendamus & confundamus*, verbis hominum, urbem & turrim construere volentiũ, per mimesin quandam opponuntur, quæ sic habent: *Venite faciamus lateres*, &c. & iterum, *Venite faciamus nobis civitatem & turrim.* Cur Deus dixerit, Descendam⁹, &c.

Sextus locus est Es: 6.8. *Quem mittam, & quis ibit nobis?* Sed & ad hunc jam responsum est per ea, quæ suprà ad tertium locum dicta sunt. Ibi enim non tantùm docuimus, numerum pluralem pro singulari usurpari, verùm etiam in eadem oratione, modò plurali numero, modò singulari Christum usum fuisse Ioh: 3. Cui nunc addo illud Pauli Rom: 1.5. qui semel de seipso ait: *per quem accepimus gratiam & Apostolatum*, &c. & deinde v: 8. ait: *Gratias ago Deo meo*. Et hujusmodi mutationes numeri in aliis etiam autoribus tum Græcis tum Latinis occurrere experietur, qui hoc observare voluerit. Et idem etiam de loco Malach: 1. sentiendum prorsus est. De loco Es: 6. Mutatio numeri in eadem oratione.

Septimus locus, de quo thesi 24. Gen: 19. *Pluit Iehova super Sodomam & Gomorrham, sulphur & ignem a Iehova*, pluralitatem etiam personarum docere non potest. Solent enim Hebræi sæpenumerò loco relativi antecedēte uti, ut 1. Reg: 8. 1. ubi sic habet text⁹ Hebraicus: *Tunc congregavit Salomon seniores Israël, & omnes principes tribuum, principes patrum filiorum Israël, ad regem Salomonẽ, Ierusalem.* & cap: 10. 13. *Et rex Salomon dedit reginæ Sebæ omnem voluntatem suã, quam petivit, præter (ea,) quæ dedit ei manu regis Salomon.* 1. Cor: 1. 7, 8 *expectantes revelationem Domini nostri Iesu Christi, Qui & confirmabit vos usque in finem inculpatos in die Domini nostri Iesu Christi.* 1. Thes: 1. 9. *Conversi estis ad Deum ab idolis ad serviendum Deo vivo & vero.* 2. Tim: 1. 18. *Det illi* (Onesiphoro) *Dominus invenire misericordiam a Domino in die illa.* De loco Gen: 19. Hebræi loco relativi antecedens ponunt.

Octavus locus de quo thesi 25. Ios: 2. *Non potestis servire Iehovæ. Nam Dii sancti (Elohim) ipse est Deus æmulator*, jam ex illis, quæ non semel ad alios locos explicandos dicta sunt, intelligi potest. De loco Ios: 2.

Nonus locus, de quo thesi 26. Esa: 48. est: *Manus mea fundavit terram, & dextera mea expandit cælos*, & mox subjungit: *Veniam ad vos, & habitabo inter vos, & scietis, quòd me miserit Iehova & spiritus ejus.* Hinc jam non pluralitatem indefinitè, sed trinitatem personarum divinitatis ostendere incipit Schopperus. Videamus quo successu. Diximus ab initio, nos non negare, Patrem Filium & Spiritum sanctum esse, & hanc Triadem appellari posse: Sed ad constituendum dogma Schopperi parum est, istorum trium extare mentionem. Necesse enim est, eos personas esse, easque divinas, & in divinitate pares. Necesse iterum est, illas tres personas esse unam essentiam. Nam hæc ad De loco Es: 48. Quo sensu Trias concedi possit. Quid ad Trinitatem Schopperi requiratur.

Trinitatem Schopperi constituendam necessariò requiruntur. Hoc autem ex eo, quòd simpliciter nominantur, nullo modo colligi posse, ipse, ut puto, Schopperus confitebitur. Itaque, quantumvis in hoc Esa: testimonio, Dei, Filii & Spiritus sancti mentio fieret, nihil tamen id ad stabiliendam sententiam adversariorum faceret. Si dicat adversarius, mentionem fieri mittentis & missi & Spiritus, respondeo, Missum, quatenus missus est, nunquam esse parem mittenti, sed semper minorem illo: At in Trinitatis dogmate nihil prius est, nihil posterius, sed omnes personæ pares. Si dicat, Spiritum sanctum mittere, & proinde personam esse. Dico, multa figuratè de rebus dici, quæ personæ non sunt, quæ propriè personis cõpetunt, & tunc multò magis, quando cum personis conjunguntur. Tunc enim nemo non videt, personis propriè, rebus impropriè actionem illam competere posse. Hoc modo Paulus *commendat* Ephesios seniores *Deo & sermoni gratiæ illius;* & eosdem Ephesios hortatur, *ut confortentur in Domino, & in potentia virtutis illius:* De se autem ait, quòd omnia contemserit, *ut cognoscat Christum & vim resurrectionis ejus.* Vbi nemo non videt, id, quod propriè Deo & Christo tanquam personis competit, impropriè dici de sermone gratiæ, de potentia virtutis, & resurrectione Domini & Christi. Quanquam præterea duo notanda sunt. Alterum est, quòd is, de quo tanquam de misso sermo est, non sit Christus, sed propheta. Is enim mixtim cum Deo loquens eo in loco introducitur. v:12, 13. Deus loquitur: v:14. propheta. v:15. Deus iterum. v:16. propheta. Quod etiam Fr: Vatablus in hunc modum annotavit: *Propheta docet v: 16. se a Deo missum, vult sibi fidem dari.* Cujus sententiæ etiam fuit Zvvinglius. *Epistropha est,* ait, *ad seipsum. Vult enim Propheta ostendere, se idcirco esse missum, ut hæc exponeret, quæ antecesserunt & sequuntur.* Idem etiam vidit Calvinus, Gualterus, Tremellius & Iunius, & Bullingerus. Alterum est, quòd verba Hebræa converti possunt, *Misit me Dominus & spiritum suum,* quam lectionem secutus est Castellio. Vnde constat, quàm valida sit opinio, quæ tam ancipiti oratione nititur, & tam variè a variis intelligitur.

Cur ex loco Esa: Trinitas Schopp: probari nequeat.

Rebus actiones personæ propriis impropriè tribui possunt.

Act: 20. 32.
Eph: 6. 10.
Phil: 3. 10.

Quis sit missus apud Esaiam.

Lectio loci diversa.

Decimus locus, de quo thesi 27., est Genes: 18., in quo manifestissimam SS. Trinitatis patefactionem contineri ait Schopperus. Is autem est, quòd primùm scribitur, Iehovam apparuisse Abrahamo, & mox subjungitur, tres viros ei apparuisse: & quòd hos tres viros in suo colloquio alloquitur singulari numero. Sed quanta sit futilitas hujus conjecturæ, dici vix potest. Nonné enim alia causa dari potest, quare dictum sit semel, Iehovam apparuisse, & deinde tres viros, præter eam, quòd tres illi viri Iehovæ personam sustinerent? Nempe quia is,

De loco Gen: 18.

qui personam Iehovæ gerebat, duobus aliis comitatus apparuerit, & aliis duobus antecelluerit? Nonné ideo etiam dici potest, Abrahamum singulari numero illum unum, qui aliis præcellebat, allocutum fuisse? Id autem ita se habere, inde apertè constare videtur, quòd, discedentibus duobus ex illis, & uno remanente, is, qui remanet, Iehovæ nomine appellatur, cum quo Abrahamus, tanquam cum Iehova loquitur, & salutem Lothi longo verborum circuitu tacitè procurat. Quamvis enim dicatur in historia, viros illos abiisse Sodomam, non omnes tamen, sed duos tantummodo abiisse, demonstrat initium cap: 19. ubi scriptum est: *Veneruntque duo Angeli Sodomam.* Vnde, quando cap: 18. dicitur; *& converterunt se viri illi, & abierunt Sodomam, Abraham verò adhuc stabat coram Iehova*, quis est, qui non videat, discrimen manifestum inter eum, qui remansit, & eos, qui abierunt, in Iehovæ persona sustinenda, cùm hi Angeli, ille verò Iehova nominetur, ut ex versu quoque 27. cap: seq: apparet, & manifestè hac ratione ab illis distinguatur? Porrò etiamsi concedatur, omnes æquè personam Iehovæ sustinuisse, & quemvis eorum Iehovæ nomine appellari potuisse, quid hinc evincent adversarii? cum certum sit, Abrahamum tres illos viros alloquentem, numero singulari uti potuisse, non ob occultum aliquod personarum divinitatis mysterium, sed quia sic, quamvis cum pluribus sit sermo, loquendi mos interdum est in Hebræa lingua, si plures illi simul sint, & unam quodammodo personam sustineant. Nam & Lothus ex iisdem tribus duos, numero singulari allocutus est, cap: 19. 19. *Ecce nunc invenit servus tuus gratiam in oculis tuis*, quod tamen ad Trinitatis mysterium, cum duo tantùm essent, nec tertium cum illis antea fuisse sciret Lothus, referri nequaquam potest. Et 1. Sam: 9. 12. puellæ illæ, Sauli & puero ejus interrogantibus, num eo in loco esset Videns, id est, Propheta, responderunt, *Est, en ante te, nunc ergo festina*, &c. Quòd enim cum utroque loquerentur, manifestum faciunt sequentia verba: *cumque ingressi fueritis civitatem, ilico invenietis eum.* Sed quid opus est diutiùs immorari in diluendo hoc testimonio, cùm præstantissimi ex recentioribus Theologis, qui nobis adversantur, infirmitatem argumenti inde deducti agnoverint, inter quos sunt Lutherus, Calvinus, Musculus, Borrhaus. Lutherus inter alia sic ait: *Quòd si non alia Trinitatis probatio esset, quàm hæ tres species, ego sanè eam non crederem.* Schopp: verò dum manifestissimam Trinitatis patefactionem hanc esse ait, videat, quomodo ei cum Luthero conveniat. Calvini autem verba ita habent: *Quòd autem Patres hinc Trinitatis & unitatis mysterium eliciunt, frivolum est, & sannis calumniisque obnoxium.* Musculus autem sic scribit: Istæ

Cur tres apparuerint Angeli Abrahamo, & is unum tantùm allocutus sit.

Loquendi modus Hebraicus.

Testimonia Theologorum.

Lutheri.

Calvini.

Musculi.

tres personæ, quæ Abrahæ apparuerunt, sanctæ Triadis personæ non fuerunt, nec Abraham eos hoc loco habuit. Vtrumque ex ipsa historia est manifestum. Quòd apparentes personas concernit, erant illi angeli, non S. Triadis personæ. Nam infrà hoc cap: sic legimus: *Converterunt se inde viri, & abierunt Sodomam.* & in principio cap: sequ: *Venerunt*, inquit, *duo Angeli Sodomam.* Item, *delebimus locum illum, eò quòd creverit clamor eorum coram Domino, qui misit nos, ut perdamus illos.* Item, *cùm mane eßet, cogebant eum Angeli dicentes: Surge tolle uxorem tuam.* Itaque cùm constet, eos fuisse Angelos a Domino missos, quomodo fuerunt tres sanctæ Triadis personæ? Ne dicat autem quisquam, alios apparuisse Abrahæ, & alios venisse Sodomam: Sodomam quidem venisse Angelos a Domino missos, Abrahæ verò apparuisse, Patrem, filium & spiritum sanctum, manifestum est ex contextu historiç, eosdem ivisse Sodomam, quos habuerat Abraham in convivio. Sic enim legitur: *& surrexerunt viri inde, & verterunt se versus Sodomam, & Abraham ibat cum eis deducens eos.* Ibid: v: 22. *& verterunt se viri, & iverunt Sodomam, Abraham verò adhuc stabat coram Domino.* Ergo non alii, sed duo ex tribus istis viris, sicuti principium cap: sequ: memorat, venerunt Sodomam, & Angeli erant a Domino ad perdendam Sodomam missi. Deinde Apostolus Heb: 13. quum ad hunc locum respiciens ait: *Hospitalitatis nolite oblivisci: per hanc enim nescii quidam Angelos hospitio receperunt*, satis indicat, Angelos fuisse ab Abrahamo & Lot hospitio acceptos. Quare invalidum est, quòd ex hoc loco quidam, sive ad docendum hoc faciant, sive ad arguendum, mysterium S. Triadis asserere volunt, &c. Quòd autem nec Abraham in tribus hisce viris personas S. Triadis consideravit, ex eo satis patet, quòd officia humanitatis talia illis obtulit, quæ nemo poterit Deo, nisi prorsus insanus, offerre ac destinare. *Afferam*, inquit, *pauxillum aquæ, & laventur pedes vestri, & requiescite sub arbore, ponamque buccellam panis, & confortetur cor vestrum: postea transibitis.* Hæc sanè non Deo sed hominibus conveniunt. Quales eos esse credebat, talia etiam obtulit officia. Cùm ergo tres istæ personæ, nec fuerint personæ Trinitatis, nec ab Abrahamo pro illis sint agnitæ, quorsum attinet eas mysterio S. Triadis accommodare. Hactenus Muscul.

De loco Psal: 33. De loco Psal:33. qui est undecimus, de quo thesi 28., suprà dictum est, quod sufficit ad intelligendum, nihil ibi de tribus personis haberi, imò nec de filio nec de spiritu sancto sermonem esse, autoritate virorum minimè suspectorum comprobatum est, qui Verbum Dei & spiritum oris ejus, pro ipso Dei imperio & jussu accipienda esse rectissimè senserunt.

Duode-

Duodecimus locus eſt, Pſal: 67. ubi Deus ter appellatur, quod idem etiam Num:6. fieri ait. Sed ad hos & alios ſimiles locos, in quibus ter Dei fit mentio, nihil aliud reſpondendum putamus, quàm quod hujusmodi frivolis conjecturis ſanctiſſima Chriſti religio ſuſpecta reddi poſſit omnibus ejus hoſtibus. Quis enim non intelligit, repetita illa voce Dei, non perſonarum Trinitatem (nam vox *Dei* potiùs Deorum Trinitatem inferret, ut ſuprà etiam docuimus in reſponſione ad primum locum) indicari, ſed rei, de qua ſermo eſt, nempe precationis vel benedictionis perfectionem & incrementum. Quemadmodum etiam alibi, cum ter Deus ſanctus appellatur, perfectio ſanctitatis, vel ejusdem conſtans aſſeveratio & prædicatio innuitur. Item cum apud Hier: Deus dicit: *Nolite confidere in verbis mendacii, Templum Domini, templum Domini, templum Domini*: & alibi apud eundem prophetam, *O terra, terra, terra:* & apud Ezechielem, cùm de corona Regis Zedechię dicitur, *Obliquam, obliquam, obliquam* ponam eam. Vbi nemo non videt, iſtam repetitionem adhiberi tantùm majoris & abſolutæ aſſertionis gratiâ, non verò ob triplicitatem rerum, quarum ibi fit mentio. Perfectionem autem quandam numero ternario contineri, inter alia exempla multa hæc pauca oſtendere poſſunt. Chriſtus ter Petrum interrogat, an ſe amet; & ter illi mandat, ut agnos vel oves paſcat: Act:10. 16. & 11. 10. ter Petro viſio exhibetur variarum pecudum, quas mactare jubebatur: Paulus ter Chriſtum rogavit, ut angelus Sathan diſcederet, & Chriſtus ter Patrem rogavit, ut calix a ſe tranſiret.

De loco Pſal: 67.

Quid numerus ternarius rebus additus in ſacris literis denotet.

Eſ: 6.3.

Ierem. 7.4.

cap. 22.29.

ca. 21.27.

Iohan. 21.15.

2 Cor. 12.8.
Mat. 26.39, 42, 44.

Decimus tertius locus affertur theſi 30. ex Mat: cap: 22. ubi, quia mentio fit Domini, qui dixerit, & Domini, ad quem dictum ſit, & denique ſpiritus, in quo dictum ſit, hinc Schopperus S. Trinitatem colligit. Ad hunc locum nos addemus etiam alios ſequentes Matth:3. 16, 17. & 28. 19. Ioh: 14.16. & 15.26. 2. Cor:13 13. 1. Pet:1. & 1. Ioh:5.7. in quibus confitemur, Patris, filii & ſpiritus ſancti mentionem expreſſam fieri, & hanc Trinitatem a veteribus appellatam eſſe non dubitamus: ſed eam quam Schopp: cum ſuis intelligit, hîc vel deſcribi, vel ex iis, quæ ſcripta ſunt, colligi poſſe, pernegamus. In omnibus enim his teſtimoniis nihil dicitur, quod doceat, Chriſtum vel Filium Dei, eſſe perſonam æquè prorſus divinam, ut Pater eſt: nihil etiam dicitur, unde conſtet, Spiritum ſanctum perſonam ſimpliciter eſſe. hoc autem ad Trinitatem Schopperi ſtabiliendam requiri neceſſariò, ipſemet fatebitur. Nam in primo, Filius ita differt a Patre, ut Pater filio dixerit: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Qui verò ita eſt Dominus, ut ei ſumma poteſtas data ſit,

De loco Mat: 22.



Status controverſiæ inter nos & Schopperum.

Cur in locis citatis non contineatur Trinitas.

& alius ei inimicos subjiciat, is certè nullo modo idem Deus, qui Pater est. Huic enim a nemine dari quicquam potest, nec ei hostes illius subjicere necesse est. In spiritu verò aliquid dici ab aliquo posse, quantumvis spiritus non sit persona ulla, nemo non videt. Tam enim potest virtus Dei, quæ est spiritus illius, aliquem ad aliquid dicendum
1. Cor: 15. 10. movere, quàm gratia Dei in hominibus multa operari, ut Apostolus ait, quæ tamen gratia Dei persona in Deo nulla est.

De 2. loco Mat. 3. In secundo loco Christum baptizari a Iohanne: & spiritum super eum descendere, & in eo requiescere audimus. Quomodo igitur persona æquè divina ut Patris persona, Christus censeri potest? cum non nisi homo baptizari; in Deum autem spiritum Dei descendere, & in eo manere, non nisi blasphemè dici possit. Spiritus verò sanctus, qui ita descendit, ut maneret super Christum, ut addit Ioh: cap: 1. 33. quomodo persona esse potest, cùm de personis, quales sunt Deus & Christus, nusquam legatur, quòd maneant vel sint super aliquem, quemadmodum de rebus, nempe de ira Dei, de pace, & misericordia id legimus.

Ioh: 3. 36. Gal: 6. 16.

De 3. loco Mat. 28. In tertio tribuitur quidem tam Filio & Spiritui sancto baptismus quàm Patri: Sed nec hinc probatur, vel filium esse parem personam personæ Patris, vel Spiritum sanctum esse personam. Solent enim diversæ personæ jungi, in rebus non minùs divinis quàm est baptismus, ut in fide & timore jungitur Moses & Samuel cum Deo: Solent etiam personæ rebus conjungi, & tam de his quàm de illis ea dici, quæ longè divinissima sunt, ut suprà in respons: ad 9. locum docuimus. Et si quis ipsum baptismum urgeat, notandum est, non tantùm in Deum, sed etiam in alias personas, imò & res eum administrari posse. Baptizati enim fuere Patres in Mosen: & discipuli quidam in baptismum Iohannis. Vbi hoc etiam notandum est, voces *In nomen Patris & filii* tantundem valere, quòd in Patrem & filium, sicut in nomen Filii credere, idem est, quòd in Filium credere: ut scilicet hinc agnoscas, baptismum etiam dari in spiritum sanctum. Verba enim *in nomen*, propriè Patri & Filio, impropriè spiritui sancto tribui possunt.

Exod: 14. 31. 1. Reg: 12. 18.

1. Cor: 10. 2. Act: 19. 3.

Ioh. 3. 18. 1. Ioh. 5. 10, 13.

De 4. loco Ioh. 14. Quartus locus docet, Christum rogare Patrem: Christum mittere spiritum a Patre. Ergo Christus non est persona æquè divina, ut Pater. Pater enim neminem nec rogat, nec rogare potest; nec ab alio sed a seipso mittit spiritum sanctum: Spiritus verò sanctus, etiamsi, ut persona introducatur, dum ea illi tribuuntur, quæ personæ conveniunt, tamen propterea pro persona haberi non potest. Nam quæ illi tribuuntur personæ propria, ea per figuras sacris literis usitatissimas, Metonymiam & Prosopopœiam excusari possunt: Interim verò ea de illo ipso spiritu dicuntur, quæ personæ competere nullo modo

possunt, quale est, quòd procedit a Patre. Nec enim persona a persona perpetuo potest procedere (ut vox Græca, quæ est præsentis temporis, requirit) sed res a personis procedunt, ut est Mar:7.15. ubi idem est verbum. Deinde idem Spiritus sanctus datur, vel homines illo obsignantur: idq; in illis ipsis locis dicitur, ex quibus aduersarii colligere solent, eum esse personam, (ut Luc:11.& nominatim Ephes:5. Ibi enim dicitur, *Ne contristate spiritum Dei sanctum.*) Hoc verò de persona dici posse, nemo sanæ mentis affirmabit, præsertim si consideret, simul & semel plurimis illum dari, vel plurimos illo obsignari. Personam autem divinam non esse, locus Ioh.16. cum dicitur: *Nihil a seipso loquitur*, ita evidenter docet, ut nulli tergiversationi locus esse videatur. Quis enim hoc de divina persona dici vel cogitari posse unquam suspicatus est? At de re, dici illud figuratè, rectissimè potuit. Non est autem silentio prætereundum, quàm miserè se gerat in probanda sua Trinitate Schopperus ex initio Marci thesi 33. *Hoc est Evangelium Iesu Christi, Filii Dei.* Ait enim, quia Patris & Filii fit mentio, & Evangeliũ Marcus scripserit instinctu Spiritus sancti, sic innui totam Trinitatem. Sed primùm Spiritus sancti nulla ibi fit mentio: & si ex eo personas Trinitatis colligere licet, quòd instinctu spiritus aliquid scriptum sit, cur potiùs initium Evangelii Marci allatum est, quàm aliæ infinitæ sacrarũ literarum partes, quæ omnes spiritus S. instinctu scriptæ sunt? Illud verò prorsus insulsum est, quòd ex initio Evangelii D. Iohannis Trinitatem probari existimet thesi 35. Quia scilicet Dei & verbi mentio fiat, & quòd filii Dei non ex carne & sanguine, sed ex spiritu S. nascantur. Nulla enim Spiritus S. apud Iohannem mentio est: imò loco Spiritus S. Dei nomen extat v.13. qui proculdubio idem ille est, de quo ab initio dictum fuerat.

Spiritus sanctus in potissima significatione acceptus non est persona.

Ineptia Schoppi I.

II.

Quintus item locus 2 Cor.13., de quo thes:35., Christum personam æquè divinam esse ut Pater est, non evincit. cùm gratiam ab eo etiam precari quis possit, qui non sit ipse Deus, dummodo divina potestate præditus sit, ut ex c.1. Apoc. apparet, ubi a Iesu Christo, qui est testis fidelis, & primogenitus ex mortuis, gratiam & pacem precatur Iohannes. Testis autem fidelis & primogenitus ex mortuis, Deus ipse nullo modo esse potest: Communio verò spiritus S., quam ibidem Paul⁹ precatur, non est aliquid simile gratiæ Christi & charitati Dei, quasi scilicet ita Spiritus S. aliquid communicare possit, ut gratiam & charitatem largiri possunt Christus & Deus: Sed passivè accipi potest ista cõmunicatio Spiritus S., ut sensus sit: precor, ut vobiscum communicetur Spiritus sanctus. Quo sensu alibi etiam phrasis hæc, communio alicujus rei, accipitur.

De 5. loco 2. Cor 13.

A quo precari quis possit gratiam.

Quid sit communio spiritus S.

1. Cor. 10 16.

Sextus

De 6. loco Rom: 1.

Sextus locus Rom.1.2. apertè testatur, Filium Dei factum esse secundùm carnem ex semine Davidis, & constitutum Dei filiū per spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum. Quomodo igitur persona æquè divina esse potest, ut Pater? cùm Pater sit ab æterno, & constitui aliquid nullo modo possit, ut qui ipse sit a seipso, qualis est; nedum per resurrectioné mortuorum. Hæc enim præsupponit mortem. Deus autem est, qui solus habet immortalitatem: Per spiritum verò sanctificationis Deū constituisse filium suū, non docet, Spiritum esse personam. Nam & per virtutem Dei Christum revixisse legimus, quæ tamen persona nulla ratione dici potest. Idē etiam de loco 1 Pet.1. sentiendum est. Tam enim Christi Apostolus esse potuit Petrus, quàm Patris, etiamsi Christus non esset persona æquè divina, ut pater est. Cū ad constituendum Apostolum satis sit potentia divina, quâ Christum a Deo donatum esse abundè testantur sacræ literæ. Per sanctificationē verò Spiritus electos fuisse fideles dici potest, etiamsi Spiritus persona nulla sit, cum non tantùm per personas sed etiam per res sanctificari possint homines, Ioh.17.17. *Sanctifica eos in veritate tua.* Quanquam valdè dubium est, an Petrus de Spiritu isto Dei sancto loquatur, & non potius metonymicè intelligat sanctificationem, quæ in Evangelio continetur, quæ opponitur sanctificationi carnis vel legis.

1 Tim. 6. 16.

2. Cor:13.4.

De loco 1. Pet: 1.

Per rem etiam sanctificatio fieri potest.

De loco 7. 1. Iohan:5.

Septimus locus 1. Iohan:5.7. itidem non docet, Sermonem esse personam æquè divinam, ut Pater est; vel spiritum esse personam. cùm nihil vetet, quominùs personæ impares testentur de eadem re, ut testabatur de Christo, Deus Pater, & Iohannes Baptista; & unà cum personis res, ut unà cum Deo testabantur scripturæ de Christo. Vnum autem esse tres quid impedit, nempe testimonii consensu, etiamsi non sint unius essentiæ? quemadmodum ibidem additur: spiritum, aquam & sanguinem, hos tres esse unum. Locum hunc ab Arianis expunctum fuisse aliquando, mera conjectura est. Assutum autem a sciolo quodam fuisse, & ipse rerum contextus, & autoritas plurimorum exemplarium tum Græcorum tum Latinorum, quæ planè eum omittunt, ut etiam Lutheri & Tigurinorum versio, satis superq; docet. Atque sic hactenus vidimus, quomodo se gesserit Schopp: in asserenda sua Trinitate. Locos non paucos attulit, ex quibus credebat, pluralitatem personarum probari, qui tamen nullam planè continent: Alios etiam attulit, in quibus quidem Dei vel Patris filii & spiritus vel spiritus sancti mentio fit, sed nec filium personam æquè divinam esse ut Pater est, nec spiritum sanctum personam esse, ulla ratione demonstravit. Agnoscat igitur lector benevolus, quænám sint fundamenta hujus de Trinitate, qualem fingunt adversarii, opinationis: eam scilicet nec

Ioh. 5.33,37,39.

Quomodo unum sint Pater Filius & Spiritus S.

Vanæ suspiciones adversariorum.

Summa ante dictorum.

cet nec in ſacris literis extare expreſsè deſcriptam. unde conſtat, non eſſe etiam ad ſalutem neceſſariam; nec ex ſacris literis juſtâ conſequentiâ deduci poſſe. unde conſtat, eam nec ad ſalutem utilem eſſe. Quod verò ad ſalutem, non tantùm utile, ſed abſolutè neceſſarium eſt, hoc eſt, quòd ſit Pater, Filius & Spiritus S., quòd nos baptizari oporteat in nomen Patris Filii & ſpiritus ſancti, & quòd Pater & Chriſtus orandi ſint, ut ſpiritum ſanctum nobiscum communicent. Quod noſtræ Eccleſiæ conſtantiſſimè credunt, & in eo indies rectiùs cognoſcendo quotidie ſeſe exercent.

Dogma Trinitatis Schopperi nec ad ſalutem neceſſarium nec utile.

Quid ad ſalutem ſit neceſſarium in hoc dogmate.

Porrò Schopperus ad modos, quibus una eademque divinitas eſt in Patre Filio & ſpiritu ſancto, explicandos ſe parat, Patrem ſcilicet eam habere ἀγεννήτως, Filium γεννητῶς, Spiritum S. ἐκπορευτῶς. Sed quia nondum demonſtratum eſt, unam eſſe horum trium divinitatem, quomodo de modis habendi eam diſſeri rectè poteſt? Quanquam ea, quæ hîc a Schoppero dicuntur, ad erroris eum convincendum & veritatem in lucem producendam aptiſſima ſunt. Nam quia filius a Patre genitus eſt, hinc ſequitur firmiſſimè, eum non habere divinam naturam vel eſſentiam. Natura enim vel eſſentia Dei numero una eſt, &, ut ſit, neceſſe prorſus eſt. Quod verò naturâ unum eſt, cum altero communicari ſana vetat ratio. Contradictoria enim ſunt, unum eſſe, & cum altero communicari. Legimus quidem ea verba Pſal: 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: Sed verba illa non de propria generatione intelligenda eſſe, docet primùm illud, quod modò dicebamus de unitate numerica eſſentiæ divinæ. Docet iterum, quòd primo reſpectu de Davide verba illa ſint intelligenda. Hic autem nec propriè nec ab æterno a Deo gigni potuit. Docet porrò autoritas Apoſtolica. Legimus enim ſemel, tunc impleta fuiſſe verba hæc Pſalmi, quando Deus Chriſtum ex mortuis reſuſcitavit, & iterum tunc, quando Deus Chriſtum glorificavit, ut fieret ſummus Pontifex. Docet deniq; autoritas multorum minimè ſuſpectorum virorum Theologorum, inter quos ſunt Antonius Flaminius, qui etiam affirmat, ſe ſequi Chryſoſtomum, & Theodoretum Antiochenum, atque Hilarium Pictavorum Pontificem, quos ſenſiſſe ait, Paulum etiam in ea fuiſſe ſententia. Nicolaus Henningius, Franciſcus Vatablus, qui rotundè ait: *Hodie genui te: Diem reſurrectionis hunc diem interpretatur Paulus Act: 13. & Heb: 1. & 5. q. d. ego ſuſcitavi te, & ita genui in vitam æternam.* Cùm Chriſtus oſtenditur Dei Filius, Rex eſſe probatur. Iacobus Ianſonius Amſteledamenſis S. Theolog: Lovanii Profeſſor. F. Adamus Sasbout Minorita, Claudius Guilliandus Bellijorenſis ſuper Epiſtolam ad Hebr: cap: 1., Wolfg: Muſculus, Ioh: Calvinus, qui

Diſcurſus Schopperi Vanus, & eidem contrarius.

Rationes cur verba Pſal: 2. nō de propria generatione intelligenda.

Act: 13. 33.
Hebr: 5. 5.

inter alia sic ait: *Scio locum hunc de æterna Christi generatione à multis fuisse expositum, qui & in adverbio* Hodie *argutè philosophati sunt, ac si perpetuum actum extra tempus notaret. Sed hujus vaticinii fidelior ac magis idoneus interpres est Paulus, qui Act: 13.33. ad illam, quam dixi, cœlestis Christi gloriæ demonstrationem nos revocat.* Idque Paræus approbat lib: 2. opposito Pseudocalvino Iudaizanti cap:28.

Processus etiam, qui tribuitur Spiritui sancto, quòd personæ non conveniat, suprà ostensum est. Non enim naturaliter & perpetuò, ut vox *procedit* arguit, persona a persona procedit, sed res tantùm isto modo procedere possunt.

Ex Symbolo Apostolico Trinitas Schopperi non ostenditur.

Sed habet adhuc aliud argumentum Trinitatis Schopp: thesi 42. Symbolum scilicet Apostolicum, ubi dicimus, *Credo in Deum.* addit autem, Schop: *in unum Deum*, sicuti Symbolum Nicenum habet. & deinceps subjungi ait personas, Patrem, Filium & Spiritum S. Sed Symbolum Apostolicum non habet vocem *unum*. Corrigere autem Apostolicum symbolum ex Niceno præposterum omnino est. Symbolum porrò Apostolicum affirmat unà cum sacris literis, Deum, esse illum Patrem omnipotentem creatorem cæli & terræ. Nam præter Patrem nullus est alius Deus, nempe qui naturâ talis sit. hic verò κατ' ἐξοχὴν Deus in sacris literis appellatur. Quanquam nec Nicenum symbolum eo respectu unum Deum nominasse credibile est, quòd sint plures ejus personæ in una essentia: sed unum Deum esse ait, Patrem, per appositionem. Et certè futilem esse istam conjecturam de tribus personis ex symbolo sumtã hinc constat, quòd, si ille sensus esset Symboli, non opus fuisset postea repetere, *Et in Iesum Christum*, sed sine præpositione *In*, vel potiùs etiam sine conjunctione *Et*, simpliciter *Iesum Christum* dictum fuisset. Cùm enim præpositio *In*, non fuerit ipsi voci *Patrem*, antea præposita, nulla ratione potuit ea anteponi nomini, *Iesum Christum*, si vox Patris distinctè a voce *Deum* accipienda est. Hoc enim pacto non repetitur, nec repeti potest ante vocem *Patrem* tacitè verbum *Credo*, sed necesse est, ut vox *Patrem* per appositionem enuncietur. Itaq; similiter ante nomen *Iesum Christum* verbum *Credo* tacitè repeti nequit, sed necesse est, ut id nomen per appositionem efferatur, & consequenter nulla ratione ei præpositio *In* potest anteponi. Deinde cùm ad spiritum sanctum ventum est, ineptissimè repetitur verbum *Credo*, si spiritus sanctus ibi ad Dei nomen ab initio positum explicandum pertinet, quantumvis longo intervallo ab eo distet. Nihil nunc dico, quòd vel nullo modo admitti possit, in Symbolo dictum fuisse, Credo in Spiritum sanctum, sed tantùm, Credo Spiritum sanctum; vel si tamen ita dictum fuisse censendum sit

1. Cor. 8. 6.

dum sit, non alio sensu id dictum esse, quàm quo dicitur, Credo in unam sanctam Ecclesiam, vel carnis resurrectionem, vel, ut sacrarum literarum autoritate utamur, quo Iohannes dicit, credi in testimonium Dei, vel quo Christus jubet credere in Evangelio. Præterea cum Iesus Christus in symbolo Dominus noster appelletur, parumné constat, eum non fuisse comprehensum in voce *Dei* suprà posita? Quid enim attinet eum Dominum nostrum appellare, quem ipsum Deum esse, ibidem dicitur? Denique quid usitatius est in sacris literis, quàm Christum a Patre distingui, idque in ipsa etiam fide, ut Christus ait: *Creditis in Deum, & in me credite*, ut ita nihil opus fuerit ista puerilia comminisci de tali symboli sensu.

Quomodo in Spiritum sanctum credi possit.
1. Ioh: 5. 10.
Mar: 1. 15.
Ioh: 14. 1.

Ait deinceps thesi 43., huic doctrinæ de Trinitate initiò se opposuisse Ebionem & Cerinthum, contra quos etiam Apostolus Evangelium suum conscripserit, & testem adducit Eusebium. Sed hæc fabula est multiplex. Primùm enim tacitè principium petit Schop., quasi scilicet ab initio Evangelii doctrina de S. Trinitate talis, qualem ille fingit, extiterit, quo nihil falsius dici potest. Quomodo verò doctrinæ tali, quæ nondum extitit, opponere se aliquis potuit? Extabat quidem doctrina de Patre Filio & Spiritu sancto, quæ doctrina de S. Trinitate appellari potest, & aduersus hanc vel partem illius, quæ est de filio Dei, aliquid contrarium attulisse Ebionem & Cerinthum dici potest. Cerinthus enim negavit, Iesum ex virgine natum, sed Iosephi filium esse contendit; Christum impassibilem fuisse, & in fine a Iesu revolasse, Iesum autem passum fuisse & resurrexisse. Ebionitæ etiam idem de Christo senserunt, eum ex Iosepho & Maria natum, & nudum hominem dixerunt; Legis Ceremonias Evangelio miscuerunt, solo Matthæi Evangelio usi sunt; Paulum tanquam Apostatam legis rejicientes, circumcidebantur, Iudaico charactere vita utebantur, & Hierosolymā adorabant, quæ domus Dei sit. Hæc omnia verò & singula, quomodo non cōveniant cū Evangelio Iesu Christi, & doctrina de ipso Christo tradita, omnes hodie, Deo sit laus, intelligimus. D. Iohannem porrò Evangelium suum istis hominibus opposuisse, nonné humanū figmentum censendum est? Nam si istis erroribus suum opponere voluisset Evangelium, cur istos errores non refutasset, vel saltem contrarium illis in Evangelio nō dixisset, de conceptione Christi ex Spiritu S., & nativitate ex virgine, & alia? Nonné verò ipse Iohannes scopum scriptionis suæ alium prorsus ostendit, dum ait: *Hæc scripta sunt, ut credatis, quòd Iesus est Christus filius Dei, & ut credētes habeatis vitam in nomine ipsius*. Deniq; Eusebii autoritatem hîc adduci, valdè mirum videri debet. Is enim loco citato, nec Ebionis aut Cerinthi, nec scripti adver-

Errores Schopperi.
Cerinthi opinio.
Iren l: 1. c: 25. 24, 25.
Ebionitarum opinio.
Euseb: l: 3. c: 24. & 6. 16.
Iohan: 20. 31.

adversus illos a Iohanne Apostolo Evangelii vel minimam facit mentionem. Inspiciat, qui velit, locum, & quæ fides Schop. habenda sit, ipsemet judicet. Ejusdem etiam momenti & fidei est, quod de Arrio deinceps narrat Schopperus. Nec enim Arius Trinitatis, qualem fingit Schopp. dogma unquã impugnavit, cùm nondum tunc temporis extaret, sed cudi demum inciperet. Impugnavit autem partem doctrinæ de vera Trinitate, ut sic loquar, quaten⁹ Christum antea extitisse credidit, quàm ex virgine nasceretur: & simul adversus eos, qui jam dogma Trinitatis, quale sectatur Schopp. moliebantur, reliquias veritatis jam pridem oppressæ, defendit. Tunc enim mysterium iniquitatis, quod tempore Apostolorum cœperat, effectum suum sortitum esse jure dici potest, cùm ad spiritualem superbiam mundana accessit potentia. Reliquias dico veritatis defendisse Arium, quatenus contendit, Christum non esse ὁμοούσιον patri: Interim ipse graviter erravit, dum passus est se eò adigi, ut confiteretur, Christum antea extitisse, quàm nasceretur. Quem errorem alius deinde consecutus fuit, ut aliqui eorũ, qui Arii partes sequebantur, Christum verum hominẽ & adorandum esse prorsus negarent, quo pestilentior circa Christi personam error nullus esse potest. Iam quid Imperator Constantinus fecerit, & quomodo Nicena Synodus coacta fuerit, non opus est hîc examinare. Hoc tamen unum addere non erit de nihilo, quòd fatentur etiam pleriq; Pontificii, Arium non sacris literis, sed autoritate Ecclesiæ in Synodo illa fuisse condemnatum. Hinc enim conjicere licet, quanta sit veritatis etiam corruptæ vis & quantum robur adversus errores.

Quid de Ario sentiendum.

Narrat deinceps Schopp., qui modus fuerit argumentandi penes Arianos, nempe eos multa argumenta ex ratione humana & abusu Philosophiæ desumsisse, et ad id respondet in hunc modum thesi 47: *Verùm argumenta rationis humanæ & Philosophiæ contra verbum Dei non valent. Rectè enim Paulus dicit: Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. stulticia enim illi sunt (Schopp. habet, sed sunt ei stultitia) & Col. 2. dicit: Videte ne quis sit, qui vos deprædetur per Philosophiam* &c. Sed inepta est tum responsio Schopperi, tum ejusdem probatio. Argumenta rationis humanæ & Philosophiæ, ait, non valere contra verbum Dei. Quasi scilicet unquam aliquis inter Christianos fuerit, vel ipse Arius, qui rationes humanas *contra verbum Dei* afferre cogitaverit. Contra verbum Dei allatæ rationes nihil valere debent: sed non omnes rationes humanæ & Philosophiæ argumenta sunt contra verbum Dei. Est enim ratio humana & Philosophia instar parvæ lucis respectu magnæ, & instar ancillæ respectu reginæ, ut ait ipse

Quatenus ratio valeat in religione.

pse Schopperus. Parva autem lux non est contraria luci magnæ, nec ancilla Reginæ. Primùm & principaliter valere debet verbum Dei in religionis negotio: Posteà verò argumenta ex sana ratione desumta sperni nullo modo debere, plurima sacrarum literarum loca, quæ rationibus humanis nituntur, ostendunt. Et sanè, qui rationem sanam post verbum Dei aspernantur in religione, ii religionem suspectam hoc ipso apud omnes cordatos reddunt. Loca verò Pauli quid quæso huc faciunt? Paulus 1. Cor: 2. loquitur de homine animali, qui nullam Christi & Evangelii ejus cognitionem habet; & de tali ait, quòd non percipiat, nempe ex seipso, quatenus scilicet animalis est, ea quæ sunt spiritus Dei, hoc est, quæ pendent a divina revelatione, eaq; non omnia, (nam de iis, quæ hominem animalem non capere ait, dicit etiam, quòd sint illi stultitia. non omnia autem, quæ pendent ex divina revelatione, stultitia sunt homini animali. nam & ipsa vita æterna, imo bona pars vitæ piæ non est stultitia tali homini) sed, tantùm an & quid sit vita æterna, & potissimùm, quæ sit via perveniendi ad illam. hæc enim, quia carni est contraria, stultitia est homini animali: Nunc verò quæstio est, an homo, cui jam Christi Evangelium innotuit, & proinde animalis esse desiit, possit adhibere post verbum Dei argumenta ex ratione sana desumta, ad percipiendum mysterium aliquod vel particulam Christianæ religionis? Illud quidem impossibile esse ipsa sana ratio dictat: hoc verò possibile esse, & ipsæ sacræ N.F. cõprobant literæ, quæ cum ratione omnia nos intelligere & facere præcipiunt: imò cultum nostrum Christianum, ad quem tum credenda tum facienda pertinent, λογικὸν vel rationalem appellant, quatenus scilicet omnia cum ipsa sana ratione optimè conveniunt & ex ea dependent, cumque legi, quæ potissima ex parte δόγμασι, hoc est, placitis Dei constabat, hac ratione opponunt. In altero loco, secundùm quid etiam Paulus monet, ne patiamur nobis imponi a philosophia, quatenus nõ vult, ut modum colendi Deum ex philosophia discamus. Iungit enim cum philosophia ipsam legem divinam, & opponit philosophiæ & legi Christum, & in eo ait habitare omnem plenitudinem deitatis, quæ scilicet emicabat minima quadam ex parte tum in philosophia tum in lege. Vnde constat, quemadmodum ex lege licet argumenta afferre ad Christi religionem confirmandam vel commendandam, sic etiam idem licere ex philosophia, tacitè concedere Apostolum.

De loco Pauli 1. Cor: 2.

Homo animalis quid.

Ephes. 5. 17.

Rom: 12. 1.

Ephes. 2. 15.

De loco Col: 2.

Quatenus vitanda philosophia.

Porrò argumenta etiam Arianorum recenset Schopp: Quæ quia

nos non approbamus omnia, vel in toto; nec ad eum modum omnia formamus, non est quòd prolixam a nobis expectet benevolus lector responsionem. Præstitisset, Schopperum nostra argumenta, quibus Christum, Deum illum unum, qui Pater est, non esse, docemus, attulisse, quæ jam in non paucis libris, qui in manibus ferè sunt omnium, publicè extant, & ea refutare conatum fuisse, si directam nobiscum disputationem incipere voluisset. Id quia facere neglexit, cogitet lector, quo fine factum sit. Ne quid tamen desideret studiosus veritatis, quomodo pleraque, quæ nos etiam adversus adversarios urgemus, refutet, idque non suis sed aliorum Patrum verbis, breviter videamus. Argumentum 1. sit, ex illis, quæ prolixè tractantur thes: 49.

Argumentum 1. veterum.

Christus crevit sapientiâ: & diem judicii ignoravit. Ergo non est unus ille Deus qui Pater est.

Ad hoc recenset Schopp: primùm thesi 50. putidam Athanasii orationem, in qua nihil præter convitia habetur, Quod si respondere est ad argumenta, proculdubio vicit Athanasius. Sed pudeat huius orationis Athanasianæ Schopperum, & si recte illum respondisse Arianis credidit, nec se habere, quod respondeat, hoc ipso se prodere persuasum habeat. Deinde omissa priori argumenti parte, quæ tamen ita firma est, ut refutari nequeat, ad alteram affert Nazianzeni responsionem thesi 50. quæ talis est. *Quomodo rerum aliquid ignorat ipsa sapientia, ipse seculorum autor, consummator, transformator, rerum omnium finis? Denique is qui, quæ Dei sunt, ita cognoscit, ut quæ in ipso homine sunt, spiritus hominis novit? Et hac cognitione quid perfectius? Tum qui cohæret, ut, quæ ad horam illam pertinent, quæque in ipso temporis extremo articulo consistunt, teneat exactè, ipsam verò horam non teneat.* Addit etiam alteram Athanasii responsionem talem: *Christus discipulis suis curiosè sciscitantibus non expressit id, quod ipse tacitum celatumque esse volebat. Sicut & nos homines alicui secreta indaganti respondemus, nos nescire, scilicet non nobis sed huic indagatori nescientes.*

Responsio 1. captiosa.

2. Falsa.

At ego contra hæc dico. 1. Christum nusquam appellari ipsam sapientiam nudè & absolutè, sed sapientiam appellari certo respectu, quatenus sapientissimum Dei de salute humani generis consilium revelavit. Vnde etiam dicitur, eum *factum esse* a Deo *nobis* sapientiam. Potest autem aliquis hominibus a Deo fieri sapientia, nec tamen omnia cognita habere, quæ scibilia sunt. cùm satis sit ad id, ut sit sapientia hominibus, quòd, quæ ad salutem æternam pertinent, cognita habeat. Hac enim nobis potissimùm opus est. 2. Christum esse seculorum autorem, consumatorem, transformatorem, captiosè dictum est. Nam primùm autor seculorum nusquam Christus appellatur: sed

Refutatio 1. responsionis.

Quatenus Christus est sapientia.

1. Cor: 1. 30.

Quomodo per Christum facta sint secula.

tantùm

tantùm dicitur, quòd per eum Deus secula fecerit. Differunt autem, autorem esse seculorum, & per aliquem a Deo facta esse secula. Hoc enim causam secundam, illud primam significat. Deinde secula per Christum facta esse a Deo, non simpliciter de omnibus seculis verum est, & non sine crassa principii petitione affirmari potest. hoc est, nisi pro concesso sumatur, Christum antea extitisse, quàm ex virgine nasceretur, sed de futuris tantùm seculis intelligendum est. Vnde etiam pater futuri seculi a Propheta appellatur. Deniq; per Christum Deus secula fecit, non simpliciter etiam. Secula enim futura propriè loquēdo, per Christum fieri non potuerunt, ut pote quæ semper unâ cum Deo fuerunt. Sunt enim nihil aliud, quàm ista beata immortalitas, quâ Deus nunquam caruit: Sed eatenus per Christum fecit ea Deus, quatenus hominibus ea per ipsum revelavit. Quo sensu etiam dicitur, gratia & Veritas per Christum facta. Gratia enim illa aliud nihil est, quàm illa ipsa Immortalitas. Potuisse autem per Christum secula futura isto modi fieri, etiamsi diem judicii ignoraverit, puto omnibus esse manifestum. Consummator etiam vel transformator seculorum Christus jure dici potest, quatenus potestas mundum hunc destruendi, & in futurum transferendi eos, qui in illum credunt, data illi est. Talis autem Christus tunc non fuit, cùm dictum est, eum ignorasse diem judicii. 3. Christum esse rerum omnium finem, si *res omnes* universaliter accipiantur, falsum etiam est: Si verò de omnibus rebus, quæ ad salutem spectant, intelligatur, notandum iterum est, Christum tunc, cùm dixit, se ignorare diem judicii, nondum fuisse re ipsa rerum istarum omnium finem: nunc verò, postquam finis est omnium rerum, ut antea diximus, concedi potest, eum cognitum habere tempus iudicii. 4. Ex eo porrò, quòd Christus is sit, qui, quæ Dei sunt, ita cognoscat, ut, quæ in ipso homine sunt, Spiritus hominis novit, non colligi scientiam diei judicii, hinc constat, quòd Paulus de omnibus Christianis dicit, eos operâ Spiritus S. ita nosse profunditates Dei, ut hominis spiritus novit, quæ sunt in homine absconditissima, & tamen Christus negat, ullum hominem diem illum judicii scire. 5. Exacta scientia eorū, quę ad horam judicii pertinent, non evincit scientiam ipsius horæ judicii. Interrogo enim, quænám sunt illa, quæ ad horā illam pertinentia Christus exactè scivit? Dices, ea quæ habentur in sacris literis descripta. At nonné & nos nūc a Christo edocti exactè scimus ea, quæ ad horam illam pertinent, & tamen horam ipsam nescimus?

Hebr. 1. 2. | Esa. 9. 6. | Ioh. 1. 17. | 1. Cor. 2. 11.

Responsio verò Athanasii, quàm sit inepta, docet primùm, quòd nulla ratione fulciatur, præter eā, quæ nimis trivialis est, & mendacii specie non caret. Nam dū homines secreta indagantib: respondent, se illa nescire.

Refutatio 2. responsionis.

ſcire, cùm tamen ſciant, humanum aliquid faciunt, quod de Chriſto Ieſu cogitare tantùm non eſt nefas. Deinde, quid opus fuiſſet addere, nec angelos nec filium ſcire illam judicii horam, ſed ſolum Patrē, ſi Chriſtus re ipſa illud ſcivit? Certè non ſolus Pater illud ſcit, quod etiam alius ſcit præter Patrem, quantumvis illud celatum velit. Præterea ſi filius ita neſcit, quod tacitum eſſe celatumq; velit, ſequetur, Angelos etiam diem judicii ita neſcire, ut aliis id revelatum nolint. Nam & de illis dicitur, quòd eum ignorent, & ſic ſcient angeli diem judicii. Quomodo igitur verum erit, ſolum patrem illum ſcire? Deniq; nullo modo Chriſtus dicere potuit aut debuit, filium neſcire diem judicii, ſi illum ſcivit ſecundùm divinam naturam. Nam quæ vera ſunt de una parte vel natura, eaq; potiori, ea non poſſunt negari de perſona vel de toto. Quemadmodum nemo dicet ſe non intelligere, aut meditari, quia corpus eius non intelligat aut meditetur.

Argumentum 2. Argumentum ſecundum eſto. Pater eſt major Chriſto: Filius a ſe nihil poteſt: Non eſt filii dare regnum, &c. Ergo Chriſtus vel filius non eſt idem Deus qui Pater eſt. Reſponſio. Reſpondet Schopp: theſi 51. ex Athanaſio, *Hæc non infirmare filium ſed a Patre diſtinguere, & humilitatem ejus & incarnationem oſtendere. Et in ſymbolo ſuo Athanaſium dicere: Æqualis Patri ſecundùm divinitatem, minor Patre ſecundùm humanitatem.* Refutatio. Egregia ſanè reſponſio. Quaſi qui minorem ſe dicit Patre, & nihil a ſeipſo facit, & in cujus poteſtate non eſt dare aliquid, non ita diſtinguatur a Patre, ut ſimul infirmetur, hoc eſt, pro minore habeatur? Quaſi humilitas Chriſti non doceat illud idem, quod objicitur. Nam in Deum nulla cadit humilitas. Incarnatio verò, quomodo ad argumentum refutandum afferri potuit, quæ ipſa controverſum dogma eſt, & nullo ſacrarum literarum vel teſtimonio vel ex eis deducta ratione ne probabiliter quidem demonſtrari poteſt? Symbolum verò Athanaſii num principium eſt Chriſtianæ religionis? Num Apoſtolus Athanaſius, homo ſeditioſus & mulieroſus? de quo vide Sozomenum lib:5. cap:6. & miraberis. Sed præterea quæ hæc eſt ratio diſputandi, ſumere pro conceſſo, quod maximè eſt in controverſia? Divinitas, qualem credit Schopp:, negatur a nobis, & tunc negabatur ab illis, adverſus quos ſcribebat Athanaſius. Quomodo igitur eâ controverſiæ dirimi poſſunt? Sed & admiſſa iſta fictitia Chriſti divinitate, nullo modo concedendum eſt, Chriſtum dicere potuiſſe de ſe ſimpliciter, quòd non fuerit par Patri, vel nō omnia potuerit, ſi par patri fuit & omnia potuit ſecundùm naturā unam, eamque præſtantiorem, ut modò dicebamus. Nam quod verum eſt de parte hominis altera, de homine ipſo nunquam ſimpliciter negari poteſt.

Locum

Locum Proverb: 8. nos isto modo non citamus, quo Arianos eum citasse ait Schopperus. itaque non est, quòd Arianos defendamus. Negamus in illo loco sermonem esse de Christo. Salomon enim de sapientia in genere loquitur: Christus verò sapientia non simpliciter, sed Dei appellatur. Salomon agit de sapientia, quæ nec persona est, nec esse potest, ut e variis effectis, quæ isti sapientiæ cap: 7, 8, & 9, tribuit, apparet, ex quibus ea sunt, quòd per eam reges regnat & principes justitiam decernant. unde etiam cap: 9. eam introducit omnes ad se invitantem & virgines suas mittentem: Christus verò ita sapientia est, ut simul etiam sit persona.

Tertium argumentum esto. Christus est primogenitus omnis creaturæ. Ergo est creatura. Addimus autem, Quia non est creatura vetus. hic enim Arianorum error est. Ergo nova. Affert responsionem Athanasii Schopperus thesi 53. talem. *Veritas ipsa tam absurdam opinionem refutat, docetq; eum primogenitum inter multos fratres appellatum esse, ob carnis nostræ cognationem: Primogenitum quoq; ex mortuis, eò quòd per eum, & cum eo resurrectio mortuorum incipit.* Hæc ille. Addit autem Schopperus. *Respicit Paulus etiam eò, quòd Christo tanquam primogenito jus primogeniti scilicet regnum & sacerdotium spirituale contigerit, ut noster Rex & sacerdos spiritualis esset.* Sed & Athanasii & Schopperi responsio nulla prorsus est. Athanasius enim docere conatur, quare Christus primogenitus inter multos fratres sit, & primogenitus ex mortuis: Nunc verò de primogenito omnis creaturæ sermo est, & ex ista phrasi argumentum ducitur, quod nec attingitur, nedum ut refutetur: imò per ea, quæ afferuntur, confirmatur. Nam non minùs ex eo, quòd Christus primogenitus ex multis fratribus, & ex mortuis appellatur, sequitur, eum esse unum ex fratribus & mortuis, & proinde non Deum illum unum, qui pater est. Is enim fratres nullos habet, & mori non potest. Aperi autem oculos, quisquis es veritatis studiosus, & agnosce, quanta sit futilitas responsionum adversariorum, ad leviter adversus eos instituta & directa argumenta, ut, quanta sit vis veritatis, tantò cognoscas rectiùs. Falsum præterea est, Christum ob carnis nostræ cognationem, primogenitum ex multis fratribus, & eò, quòd per eum & cum eo resurrectio mortuorum incepit, primogenitum ex mortuis appellari. Christus enim ob spiritualem, quam nobiscum habet cognationem, primogenitus ex multis fratrib⁹ appellatur, ut ipsa verba indicãt. Alioquin enim nõ ex multis fratrib: sed ex omnib: hominib: dicendũ fuisset. Primogenit⁹ verò ex mortuis dicitur, quia primus ipse ex mortuis ad vitam immortalem pervenerit. Resp: verò Scho:, & argumentum objectum non tangit,

Argumentum 3.

Responsio Athanasii.

Additio Schop:

Refutatio respõsionis Athanas.

Christus cur primogenitus ex fratribus.

Refutatio Responsionis Schop:

& per se falsa est. Nihil enim cum sacerdotio Christi spirituali commune habet, id quòd is primogenitus est omnis creaturæ: Regnum verò ipsius, quod in nos habet, denotatur quidem hac locutione, sed non solum. Nec enim omnis creaturæ nomine soli homines continentur, sed & angeli, iiq; tam mali quàm boni. Ad hos enim omnes creatio per Christum facta, de qua Col.1., catenus spectat, quatenus Christus ipsorum Dominus effectus est.

Argumentum 4. Argumentum (numero quartum), quod ex loco Esa: formasse Arianos ait Schopp. hoc modo: Ego sum Deus & non est alius. Ergo tãtùm unica est persona Divinitatis (non *in Trinitate*, ut inconsideratè loquitur Schopper[9]. nam quomodo in Trinitate una tantùm est persona, cùm Trinitas ipsa plures necessariò significet) quanquam nos nõ urgemus isto modo, ineptissimè tamen solvitur ab Athanasio, dum

Responsio. th:54 dicit Schop: *Deus per verbum suum locutus est: Non igitur verbum istis excluditur. Sicut enim dicto Prophetæ: Ego solus extendi cœlos: per particulam solus verbum seu filius non excluditur: cum de ipso etiam dictum sit, sine eo factum est nihil: Quare nec similibus particulis excluditur, sed in uno, solo, primo, consignificatur & cointelligitur verbum.* O responsionem acutam. Sed sinamus acumen, modò sit veri aliquid. At nec hujus mica est. Deus, inquit, per verbum suum locutus est. Quid tum postea? Num, ut Christus est verbum Dei, sic omne verbum Dei est Christus? Atqui suprà demonstravimus, verbum Dei sæpissimè jussum & decretum illius significare. Verissimum igitur est, voce *Solus* excludi omnes, quicunq; sunt extra Deum & ejus personam, & ita excludi ab extensione cælorum Filium, ut excluditur a Deitate. Quod verò Iohannes ait, *sine ipso nihil est factum*, id ad creationem nihil pertinet. Est enim ibi vox γέγονεν. Fieri autem multa possunt, quæ non sunt creata: Et additur mox, *quod factum est*, ut appareat, de rebus certis factis sermonem esse. Et deniq; tantùm indicatur, alium quem aliquid fecisse, quod Christus in persona sua non fecerit, nec tamen sine ipsius opera & auxilio factum sit. Id autem est, quod Apostoli ad Evangelium complendum fecerunt. Hoc enim non per Christum factum fuit, nec tamen sine Christo.

Argumentum 5. Quintum argumentum esto. Solus Pater est verus Deus. Ergo nõ filius. Antecedens probamus loco 1. Cor. 8 6. *Et si sint, qui dicuntur Dii, sive in cælo sive in terra (sicut sunt multi Dii & Domini multi) sed nobis unus est Deus, pater ille, ex quo omnia, & nos in illum.* Et illo Ioh. 17, 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, solum illum verum Deum.* Respon-

Responsio. det ex Athanasio thesi 55. Schopp. *Atqui ista cum primis verbis per cõjunctionem, Et, cohærent, neq; quæ sequuntur, inde dirimenda sunt, &*

constanter

constanter apud rectè sentientes in confesso est, ambas partes Dominicæ vocis copulari debere. At quid istud ad rem? Nonné enim sequentia, *& quem misisti Iesum Christum,* cum præcedentibus cohærere possunt, & tamen verum manere, quòd pater solus sit verus ille Deus? Cohærere, inquam, possunt, quatenus parum est sub novo Fœdere ad consequendam vitam æternam, cognoscere patrem, qui solus est verus ille Deus, sed præterea requiritur, ut etiam cognoscatur Iesus Christus, quem ille misit: vel quasi copulatis partibus vocis Dominicæ, sequatur, Iesum Christum esse illum verum Deum, quod nullo modo verũ esse potest. Cùm enim pater solus sit verus Deus, aut Christus pater erit; aut quia pater nõ est, verus ille Deus esse nõ potest. Sed quid habet amplius Sch:. *Audi,* inquit, ut puto ex Athanasio, *scriptam demonstrationem: scimus quod filius Dei venit, & dedit nobis intellectum, ut cognoscamus verum Deũ, & simus in vero ejus filio Iesu Christo. Hic est ver*[9] *Deus & vita æterna. Iamné animadvertis, easdem voces de Patre & filio proferri, æqualiter Patri & filio Deitatẽ imputantes.* At demonstratio ista multipliciter erronea est. Nam Græcus textus lõgè aliter habet, nempe sic: *Et sumus in illo vero, in filio ejus IesuChristo. Hic est verus Deus et vita æterna.* & sic etiam Lutheri versio habet. Præterquam quòd nullo modo constat, vocem *Hic* ad proximè ante nominatum antecedens referendũ esse, cùm novum non sit, istiusmodi relativa ad remotiora spectare, ut inter alia exempla hæc pauca docent. Act. 4, 11. *Hic est lapis* &c. cùm tamen proximè ante infirmi hominis mentio facta esset, in hoc *iste* astat coram vobis sanus. Et 7, 19. *Hic circumveniens,* &c. quòd ad regem alium, non ad Iosephum proxime nominatum referendum est. Et 10, 6. *Hic diversatur apud quendam simonem coriarium, cui est domus juxta mare. Hic dicet tibi quid te oporteat facere.* Vbi vox *Hic* posterior non ad coriarium proximè ante nominatum, sed ad Petrum remotiùs nominatum referenda est. Sed & ipse Iohannes exẽplum hujus rei præbet, ep. 2. v 7. *Quoniam multi seductores ingressi sunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum, qui venit in carne. Hic est seductor & Antichristus.* Vbi nemo non videt, vocem *Hic* ad remotiora referendam, etiam nemo, ad quem directè referri possit, nominatus sit eodem numero. Et sanè nimis contortum foret, dicere, Iohannem Christum appellare verum illum Deum, quem filium illius Dei veri appellârat. cùm nemo sui ipsius filius esse possit; & de quo dixerat, quòd venerit, & Deum illum verum nobis patefecerit. Quis enim est Deus ille, quem Christus patefecit, prẹter patrem? Ego, inquit Christus ad Patrem, nomen tuum hominibus manifestavi. Quanquã etiam alia ratione ad id responderi potest, ut scilicet vox *Hic* nec ad Patrem nec ad filium

Refutatio.

Responsionis confirmatio.

Refutatio illius.

Relativa interdũ ad remotiora pertinent.

Ioh: 17. 6.

Observatio de usu pronominum substantivorum.

ad filium referatur. Videmus enim alibi etiam, pronomina ejusmodi substantiva, quando construuntur cum verbo substantivo, non convenire in genere & numero cum subjecto & prædicato. Vt *Bonum* Matth: 3. 38. *autem semen hi sunt filii regni.* Ibi enim vox *hi* nec numero nec genere cum subjecto, quod est *semen bonum* convenit, sed cum prædicato *Fi-* Joh: 17. 3. *lii regni:* & alibi. *Hæc autem est vita æterna* &c. ubi similiter pronomen *hæc* convenit in constructione cum vita æterna, quæ fœminini generis est, cùm tamen id, quod Christus dixit esse vitam æternam, nullo modo sit fœminini generis, sed secundùm grammaticam per pronomen neutrius generis exprimi possit. Itaq; hoc in loco etiam intelligendum est, isto pronomine referri totum illud quod præcessit, & tamen genere masculino pronomen istud esse prolatum, ut secundùm grammaticam conveniret cum eo, quod statim subjicitur, & prior pars totius prædicati est, nempe cum, *ille verus Deus*. Sensus autem est: in eo, quod diximus, est verus ille Deus & vita æterna. Nam quatenus quis cognoscit Christi Patrem, & ipsum Christum, cujus rei antea mẽtio facta fuerat, habet & illum verum Deum, & vitam æternam. Illum quidem verum Deum, quia Christi Pater est ille verus Deus: vitam autem æternam, quia illa a Christi Patre per ipsum Christum in nos proficiscitur. Sed adhuc habet aliud Schopperus ex Nazianzeno, qui sic Responsionis reliquum. ait: *Mea est sententia, illud cognoscant te solum verum Deum, ad eos, qui cum Dii dicantur, tamen non sunt, tollendos valere. Alioqui si Christo ex adverso responderit, adjectum non eßet, Et quem misisti Iesum Christum.* Videtur Schopperus maluisse aliorum, quàm suis uti responsionibus, ut ipse extra aleam positus, videret, quid aliis futurum esset. Quàm Refutatio illius. calva enim, quæso, hæc est sententia Nazianzeni? Certum est, ista verba valere ad tollendos falsos Deos: sed interim non sequitur, eos non valere ad tollendos omnes alios, quicunq; sunt extra illum Deum Patrem. Quis enim tunc cogitabat, talia monstra opinionum extitura, ut is, quem Deus ille verus pater misit, pro ipso vero Deo haberetur? Quæ verò addita sunt, *Et quem misisti Iesum Christum*, tantùm docent, Christum non excludi a cognitione ad vitam æternam necessaria, nõ verò non excludi a Deitate illius veri Dei. Nec enim dictum est, *Hæc est vita æterna, ut tantùm te cognoscant:* sed dictum est, *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, qui solus es verus Deus*. Potest igitur admitti alius ad cognitionem Dei: ad divinitatem verò, qualis est illius veri Dei, nempe naturalis, nemo prorsus. Iam enim non solus Pater esset verus Deus, si alii etiam præter illum, eadem prorsus divinitas eodem modo competeret.

Argumentum 6. Sextum argumentum est. *Deus fecit Iesum, Christum & Dominum.* *Ergo Ie-*

Ergo Iesus non est ille unus Deus. Respondet thesi 56. Schopp: cum Basilio & aliis Patribus, *Petrum non loqui de divina natura Christi, quasi secundum illam sit factus Dominus, cum secundum illam sit Dominus genitus ex substantia Dei Patris ab æterno: Verùm loqui de Christo secundum ejus humanam naturam, secundum quam ipsum Deus Pater per exaltationem fecit Dominum omnium creaturarum.* Sed isto modo non docti disputant, qui cum aliis de rebus controvertunt, sed ita magistri dictitant, penes quos rerum summa est, quales nos præter Apostolos nullos agnoscimus, nec etiam agnoscit Schopperus. Hæc scilicet est veritatis vis, ut, nisi principium crassè tandem petant adversarii, obmutescere eos turpiter oporteat. Sed admisso etiam isto duarum naturarum commento, falsitas tamen tegi nequit. Quæro enim, quid opus fuit *post resurrectionem demũ & ob præstitam patri obedientiam* Christum & Dominum, fieri Iesum, cùm ab ipso conceptionis momento ipse Deus fuerit ex mente adversariorum? Quæro iterum, quid opus fuit *a Patre* Iesum Dominum & Christum fieri, cùm ipse Christus id præstare potuerit, vel potiùs non potuerit non præstare, si idem ipse Deus fuit? Quia verò *certo tempore*, nempe post resurrectionem, & *certa de causa*, propter obedientiam scilicet, Iesus *ab alio, nempe Patre suo* Dominus & Christus factus est, hinc infallibiliter sequitur, Iesum nullo modo Deum illum unum esse.

Responsio.

Refutatio.

Act: 2. 36.

Phil: 2 9.

Septimum argumentum esto: *Quod gignitur, posterius est gignente. Sed filius est a Patre genitus. Ergo posterior est Patre gignente.* Respondet th: 57. ex Hilario Schop:, 1. *Abjiciendas esse has tortuosas quæstiones & fidem spectandam.* Ergo tortuosa est quæstio, dum impugnatur, æterna Christi generatio, non tortuosa, cùm affirmatur contra Verbum Dei & sanam rationem? Nusquam enim Scriptura disertè testatur, Deum generasse filium ex sua substantia ab æterno: Sana autem ratio id non permittit. Essentia enim Dei, ut nec multiplicari, nec in partes dividi potest, omnium consensu: ita nec tota communicari potest. Iam enim non esset numero una. *At fides*, ait, *spectanda est.* Quæ verò fides? Proferantur testimonia, producantur rationes, & habebit fides, quo nitatur. Nam absq; testimoniis sacrarum literarum, & absq; rationibus fides nulla est. At ait, *aliud est nasci ex eo, qui non fuit, & aliud, ex eo nasci, qui semper est. Qui non semper pater est, non semper etiam genuit. Vbi autem semper pater est, semper & filius est.* Aliud esse nasci ex eo, qui non semper est: & aliud, nasci ex eo, qui semper est, nulla ratione comprobavit Hilarius. Tam enim ad nativitatem ex eo, qui semper est, requiritur, ut prior sit ille, qui generat, quàm ad nativitatem ex illo, qui non semper est. Et nihil refert,

Argumentum 7.

Responsio.

Refutatio.

Responsionis probatio.

Refutatio ejusdem.

fert, quòd pater semper est, ad constituendum, filium etiam semper fuisse, nisi doceatur etiam, eum, qui pater est semper, semper etiam fuisse, quatenus pater est. Eum autem, qui semper fuit, nempe Deum, qui etiam pater est, semper fuisse quatenus pater est, nemo unquam testatus est, quod tamen Hilarius affirmat. Deum enim esse, quatenus essentiam significat in Deo illo uno, qui pater est, naturale est: At patrem esse, voluntarium est.

Deus non semper fuit Pater.

Argumentum 8.

Octavũ argumentum esto: Deus Pater Christum excitavit a mortuis. Ergo Christus seipsum non excitavit, & sic non est unus ille Deus.

Responsio 1.

Respondet thes: 68. ex Epiphanio Schopperus. *Iam & filius potentiam habet excitandi mortuos. Quis enim Lazarum, quis viduæ filium in Nain, quis filium archisynagogæ excitavit? Cujus nomen Apostoli invocantes mortuos suscitabant?*

Refutatio.

Ego verò miror ista tam puerilia a Schoppero allata, & doleo, ea in tanto hominum doctorum collegio approbata fuisse. Quid enim ineptius dici potuit? Num is, qui alios ad hanc vitam temporariam excitare potest, seipsum etiam excitare potest? Ergo etiam Prophetæ & Apostoli seipsos excitare possunt, nam & hi mortuos suscitarunt? Apage istas nugas. Audiamus alia.

Responsio 2.

Deinde Christ⁹ ipse prædixit, se suâ potentiâ resurrecturũ die tertio, sicut & clarè inquit, potestatẽ habeo animã meã ponendi & recipiendi, (in Græco est, *sumendi* vel *accipiendi*, est enim λαβεῖν.) *Ioh:* 10.

Refutatio.

At hæc phrasis potestatẽ habere *animã accipiẽdi*, figurata est. Legim⁹ enim, quòd iis etiã, qui Christũ receperunt, in nomẽ ejus credunt & ex Deo nati sunt, data sit potestas, ut filii Dei fiant, hoc est, ut immortales evadant. nam alio modo ii, qui Christum receperunt, in nomen ejus credunt, & ex Deo nati sunt, filii Dei fieri non possunt, cùm jam sint isto modo filii Dei, quo homines in hoc seculo esse possunt: Et tamen certo certius est, neminem fidelium potentiâ suâ resurrecturum, sed omnes in Christi adventu Dei virtute per Christum esse resuscitandos. Simili loquendi modo tribuitur etiam fidelibus, quòd sint animas suas servaturi & vivificaturi, quod majus est, cum tamen id ipse Deus per Christum facturus sit.

Ioh: 1.12.

Quid sit Filium Dei fieri. Ioh. 1.

Mat: 8.35. Luc: 17.33.

Responsio 3.

Sed restat adhuc aliud: *Hac phrasi, ait, Apostolus usus est, ut ostendat, nihil sine voluntate Patris in salutis dispensatione factum esse.*

Refutatio.

At hæc est nuda etiam assertio, & procul omni dubio falsa mentis Pauli assertio; & etiamsi esset verissima, ad rem nihil facit. Vis enim argumenti manet eadem.

Responsio 4.

Deniqúe & hoc addit Schopp: *Addo & hoc, quod Christus Ioh: 5. dicit, sicut Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & filius quos vult vivificat.*

Refutatio.

At hoc non respectu Christi sed populi ipsius dictum esse, quis non videt? Potest autem aliquis potestatem habere alios vivificandi, nec tamen semetipsum vivificare.

Est enim

Et est manifesta contradictio in ista phrasi, semetipsum resuscitare. Nam qui resuscitat aliquem, is, ut vivat, necesse est: Qui verò vivit, quomodo mortuus est? Nec quicquam hîc valet commentum duarum naturarum. Christus enim quoad naturam mori non potuit, cùm mori sit passio: passiones autem sint suppositorum vel personarum. Iam si suppositum vel persona Christi mortua est, quomodo Christus seipsum vivificare potuit, cùm personæ sit resuscitare? Hi scilicet sunt labyrinthi, quibus se intricant ii, qui monstrosos errores magis amant quàm simplicem veritatem. Præterea notandum est, verba Christi Iohan: 5. intelligenda esse de eo tempore, quo Christus jam immortalis effectus erat, etiamsi in præsenti tēpore prolata sint. Istæ enim temporum enallage usitatiores sunt, quàm ut exempla earum afferre necesse sit. De tempore autem futuro intelligenda esse hinc constat, quòd in iis ratio redditur rei futuræ post illud tempus, quando Christus ista verba dixit: *Pater diligit filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit, & majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini. Sicut enim Pater*, &c. Majora autem opera illis, quæ Christus in terris faciebat, Pater filio priùs non demonstravit, hoc est, potestatem ea faciendi illi non dedit, quàm cùm eum a mortuis resuscitatum ad dexteram suam collocavit.

Seipsum vivificare contradictio est.

Verba Ioh: 5. de re futura intelligenda sunt.

Argumentum ex verbis Iohan: 5. *Nihil facit filius, nisi viderit Patrem facientem*, unde concluditur, filium a Patre discere, & sic minorem esse Patre, omittimus. Nam non isto modo nos argumentari solemus. Quanquam responsio Epiphanii valdè puerilis est. Tantùm enim suo more sententiam dicit, argumētum verò prorsus intactum relinquit. Quem modum respondendi, dum hodie etiam sequuntur nostri adversarii, ut infrà apparebit, Patrum se quidem istorum similes esse produnt, interim verò causæ suæ & existimationi multùm apud perspicaces detrahunt. Quis enim nisi mancipium, patiatur se trahi sola humana autoritate in rebus ad salutem pertinentibus?

Nonum argumentum esto. Christus tradet regnum suum Deo & Patri, cùm evacuaverit omnem principatum & potestatem & virtutem, & ipse subjectus erit Deo Patri. Ergo Christus non est ille unus Deus. Asscripsit ex Hilario responsionem talem Schopperus thesi 60. *Ante omnia quærendum est, an finis apud Paulum significet defectionem, traditio amissionem, subjectio infirmitatem*. Negat autem finem significare defectionem. *Quia finis sit immobilis manēdi ad quem tenditur statum*. Traditionem regni negat esse amissionem, *quia Deus etiam tradiderit omnia Christo, nec tamen iis, quæ tradidit, caruerit*. Subjectionē negat significare infirmitatem, vel subjectionem tanquā ser-

Argumentum 9.

Responsio 1.

vitutem

vitutẽ Dominatui, ſed ſignificare ait *diſpenſationem temporis & ſacrãmẽti*. Evacuationẽ negat idẽ eſſe quod ſubjectionẽ. *Nam evacuare, ait, adverſantem poteſtatẽ, eſt jus poteſtatis auferre, ne maneat: & per poteſtatis evacuationem, regni eſt abolere dominatum*, (ſic habet Schopperus) & tandem ſic concludit, *Tradet ergo regnum Deo Patri, non utique tanquam tradens poteſtatẽ concedat, ſed quòd nos conformes gloriæ corporis ſui facti regnum Dei erimus*. Et hactenus Hilarius. Cui reſponſioni ſuorũ etiam Theologorũ reſponſionẽ adjungit Scho:. *Paulum id velle: Deinde finis erit, ſcilicet mundanorum imperiorum & regnorum, quòd ſcilicet poſt reſurrectionem mortuorum nulli amplius imperatores, reges & principes ſint regnaturi, cum Chriſtus tradiderit regnum, ſcilicet modum gubernandi Eccleſiam per miniſterium Verbi & Sacramentorum, quòd ſcilicet poſt reſurrectionem mortuorum nullo amplius opus erit miniſterio Eccleſiaſtico: cùm evacuaverit ſeu abrogaverit omnẽ principatum &c. id eſt, cum pleniſſimam victoriam contra omnes hoſtes ſuos, adeoq; etiam contra ultimum hoſtem, mortem ſcilicet, adeptus fuerit, tũ Eccleſiam ſuam ab omni malo liberatam ſiſtet patri ſuo cœleſti, ut eum æternis laudibus celebret. Igitur Chriſtus tunc non deſinet eſſe Rex ſuæ Eccleſiæ, ſed tantùm modum regnandi mutabit: quod ſcilicet non amplius per miniſterium verbi regnabit: ſed tum erit omnia in omnibus, ac electos ſuos æternæ ſuæ beatitudinis conſortes efficiet:*&c. Verba etiam. *Tunc & ipſi filius ſubjectus erit ei, qui ſibi ſubjecit omnia*, ita explicat, id eſt, *ſubjectus ei erit ratione carnis aſſumtæ, juxta quam etiam minor eſt patre, ut ſit Deus omnia in omnibus*, id eſt, *filius Dei, devictis omnibus hoſtibus refocillabit ſuam Eccleſiam in vita æterna, ac omnia in omnibus erit, ut electi per ipſum æterna beatitudine fruantur*. Aſcripſi omnia Hilarii & Theologorum Schopperi verba, vel ſaltem ſenſum integrum, ut agnoſcat benevolus & pius lector, quanta ſit argumenti ex hoc loco ducti vis, quæ nullis nec veterum nec recentiorum Theologorum gloſſis ita obſcurari poteſt, ut non ſemper ipſius ſplendor appareat. Et experti ſumus hactenus, ſtante ſententia de Chriſti perſona, quam ſequuntur aduerſarii, nullam ad hæc verba afferri poſſe explicationẽ, quæ non ſit admodum ridicula, vel certè falſa. Vnde ſi quis alius locus ſacrarum literarum, hic ad detegendum errorem circa perſonam Dei, quòd ſit ipſe Deus unus, longè aptiſſimus eſt. Sed ad reſponſiones Hilarii. Mittimus autem ea, quæ de voce, *Finis*, & de verbis, *cum evacuaverit omnem poteſtatem* &c. dicta ſunt. Nec enim planè conſtat, (quãquam alios ita ſentire ſcio) vocem Finis ad finem regni Chriſti pertinere, cùm ad finem negotii ſalutis non incommodè referri poſſe videatur. Subjungitur enim iſta vox his verbis, quibus dictum fuerat: primitias

Reſponſio 2.

Loci 1. Cor. 15. robur ad evertendam opinionem de fictitia divina Chriſti natura.

Refutatio 1. reſponſionis.

primitias esse Christum, deinde eos qui sunt Christi, in aduentu illius, scilicet resurrecturos. Deinde finem futurum, nempe negotii illius salutis, cujus peragendi & conficiendi causâ Christus in mundum venerat & exaltatus fuerat. De quo tamen cordati lectoris judicium esto. Verba etiam, *cùm evacuaverit omnem potestatem* &c. non ad Christi, sed hostium illius potestatem, quam Christus tunc prorsus abolebit, referenda esse ipse Hilarius & Theologi Schopperi confitentur. Hæc porrò tenemus; Christus ita tradet regnũ suum Deo & patri, ut subjectus ipse futurus sit ei, qui sibi subjecit omnia. Ergo Christus nõ est ille unus Deus. Is enim nemini regnũ suum ita tradet aut tradere potest, ut subjectus alicui sit. Quæ verò respondet Hilarius, *Traditio regni, nõ est amissio. Nam & Pater omnia tradidit Christo, nec tamen omnia amisit*, ea nihil prorsus valent. Diversitas enim rerum, quæ traduntur, diversitatem etiam traditionis efficit. Sunt quædam, quæ licet alii tradantur, tamen non inferunt amissionem: sunt, quæ omnino inferũt. Vt, exempli causa, scientia, quæ in aliquo inest, tradi alteri potest, quatenus ei revelatur vel cum eo communicatur, nec tamen ulla ratione is, qui alteri eam revelat, vel cum eo communicat, amisisse illam dici potest: Domus verò vel tale quid, nulla ratione alteri ita dari potest, ut eam is non amittat, qui alteri eam largitur. Quando igitur Christus ait, omnia sibi tradita esse a Patre suo, de iis omnibus loquitur, quæ non possunt amitti ab eo, qui ea alteri tradit, nempe de scientia rerum divinarum, vel cognitione divinæ voluntatis perfecta, quatenus ad salutem nostram necesse est. Statim enim Christus addit, explicans quæ sint illa omnia, tradita sibi a Patre: *Et nemo supercognoscit filium nisi Pater, nec Patrem quis supercognoscit nisi filius, & cui filius voluerit revelare. Venite ad me omnes &c. discite a me* &c: At regni longè alia est ratio, Hoc enim in actione externa consistit, non in qualitate aliqua interna, & proinde deponi potest, ut in ipso Deo Patre videmus. De hoc enim dicit Christus, quòd neminem judicet, sed omne judicium dederit filio, apertè & disertè docens, Patrem ab eo tempore, quo Christus in cœlos ascendit, in sua persona non gubernare populum suum. (hoc enim est judicare, loquendi modo Hebraico.) quia scilicet Christum præfecerit domui suæ, per quem eam administrat.

Quænám traditio amissionem efficiat.

Matth: 11. 27.

Joh. 5. 22.

De subjectione nihil respondet Hilarius, quod dignum sit refutatione. Tantùm enim dicit, subjectionẽ significare dispensationem temporis & Sacramenti. Hoc verò quid est aliud, quàm principiũ petere & nugari? Firmum igitur stat argumentum ex ea ductum. Sed responsionibus ad argumentum nostrum expensis, expendamus etiam explicationes loci ipsius. *Finis erit*, ait cum Theologis suis Schopperus, scilicet

Refutatio explicationum hujus loci.

licet

licet mundanorum imperiorum. At nulla causa est, cur hujus potiùs rei, quàm aliarum, quarum tunc finis futurus est, mentionem Apostolus faciat: imò causa esse videtur, cur in his verbis istius rei finis non includatur. Statim enim, postquam dixisset, finem futurum, addit inter alia, Christum etiam aboliturum omnem potestatem &c. atq; ita una eademq; res bis exprimeretur sine ulla necessitate. *Tradet regnum Deo & Patri*, ait Hilarius, est, nos conformis gloriæ corporis sui facti, Regnum Dei erimus. Sed quis unquam audivit talem locutionē: Nos regnum Dei futuros? cùm potiùs legatur nos regni Dei participes futuros, ad quod vocati sumus. Præterea regnum Christi non soli homines censendi sunt. Nam & Angeli potissima ejus pars sunt. Quomodo verò regnum Dei erunt Angeli? Schop: porrò cum Theologis ait: *Christum regnum traditurum, quia modum regnandi mutabit, qui fit per ministerium verbi & Sacramentorum.* Mitto nunc illud, quòd per Sacramenta Christus Ecclesiam gubernet, quod tamen falsissimum esse indico. Illud dico: Mutatio modi regnandi, non est traditio regni. Nam & is regnum retinet, qui modum regnandi mutat. Paulus autem ait, Christum regnum traditurum, ita scilicet ut finis ejus futurus sit. nam mox addit: *oportet enim regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedes suos.* Vnde apparet, finem regni futurum, cùm omnes inimicos sub pedes suos posuerit. Deinde non simpliciter dicit Paulus, Christum traditurum regnum, sed traditurum illud Deo & Patri. Vnde sequeretur, Patrem per verbum & sacramenta tunc gubernaturū Ecclesiam, siquidem id, quod per ea gubernabatur, traditum habebit, quod quàm absurdum sit, nemo non videt. Præterea ad regnum Christi pertinent non tantùm homines pii, sed etiam impii, imò angeli etiam omnes. Ad hos verò, quomodo gubernatio per ministerium verbi & sacramentorum pertinet? Deniq; idem Paulus, qui dicit, Christum regnum traditurum, dicit etiam, ipsum filium subjectum futurum Deo. Subjectum verò esse & regnare contraria sunt.

Eph: 5. 5.
1. Thess. 2, 12.

Christum regnum suum traditurum, quia Ecclesiam liberatam ab omni malo, patri sistet, quod porrò ait Schopperus, per ea, quæ paulò ante ad Hilarii explicationem attulimus, dilutum est. *Subjectum filium futurum*, quia ratione carnis assumtę, juxta quam minor est patre, subjectus futurus sit, nonné est putidum prorsus commentum? Nam & principium in eo turpiter petitur. cùm, an carnem Christus assumtam habeat, & an juxta illam Patre minor sit, controvertatur; & ipsum sese destruit. Certum enim est, Christū ratione carnis assumtæ semper fuisse patre minorem, & nunc etiam esse. Quomodo igitur dici potest, eum ratione illius futurum subjectum? Hæc enim verba Pauli præsup-

ponunt,

ponunt, filium Dei nunc non esse subjectum ei, qui sibi omnia subjecit. Præterea dicitur tunc, *Et* ipse fili⁹ subject⁹ erit. Vnde constat similitudinem indicari subjectionis, quâ ipse filius subjectus erit, cum subjectione aliorũ. Hæc enim vocis hujus *Et*, vis est. Vide Rō. 8. 21. Isti verò alii, sunt illi omnes, de quib⁹ mox addit, ut sit Deus omnia *in omnibus*. nempe fidelibus. Fideles autem non ita sunt futuri subjecti, ut natura eorũ aliqua non sit futura subjecta, sed toti, quanti quanti sunt, subjecti erunt.

Deum futurum omnia in omnibus, Schopperus cum Theologis de filio Dei intelligit, &, eum omnia in omnibus futurum, ita explicat, quòd electi per ipsum æterna beatitudine fruituri sunt. Sed ineptissimè hoc dicitur; nec ulla ratione probat Schopperus vocem Deus, hoc in loco Filium Dei significare, nec probare potest. Quandocunq; enim nomen Deus subjecti locum habet, semper Deus pater intelligitur, Christus verò nunquam. Præterea si de Christo vox ea accipienda esset, Paulus ipse sibi esset contrarius. Nam omnia esse in omnibus, contrarium est ei, subjectum esse alicui. Vnde quia Christus nunc est omnia in omnibus, subjectus patri non esse, sed subjectus futurus dicitur. Deniq; de re tali Paulus loquitur, quæ nunc nondum est in illo Deo. Ait enim, *ut Deus sit*, hoc est, ut Deus re ipsa fiat, *omnia in omnibus*. At Christus nunc est omnia in omnibus. Itaq; non est opus, ut sit olim omnia in omnibus. Vide iterum benevole & cordate lector, quãta errorum in unius loci explicatione farrago, in quos tamen non omnes accuratè animadversum est, ut hinc perspicias, locum hũc prorsus non ferre istam de Christo sententiam, quam hodie plærique sequuntur, quòd scilicet sit ille unus Deus.

Quando vox DEI Patri competat.

Ephes: 1. 23. Col: 3. 11.

Dices, quæ igitur tua est de hoc loco sententia? Hanc exponere, etiamsi nullo jure tenear, exponam tamen publici commodi causâ. Tempus erat, cum solus Deus regnaret in cœlis: Hîc ad regni sui consortium admisit Iesum Christum, tunc quando eum a dextris suis collocavit, tum ut divinam suam perfectè manifestaret gloriam, tum ut perfectissimam hominibus sibi confidendi prẹberet occasionem. Regni Christi tanta est perfectio, ut Deus, quòd ad Ecclesiam attinet, jam non in sua persona regnet. Pater enim neminem judicat: sed Christus est nunc omnia in omnibus, & omnia in omnibus implet, & loco Dei regnaturus est, usq; ad illud tempus, quando omnes fideles beata immortalitate donabit. Hoc facto, regnum, quale nunc Christus administrat, cessaturum est. Nam populum suum nec gubernabit ampliùs, nec servabit, ut nunc facit, ut pote qui unâ cum illo beatus futurus est. Christus etiam ipse subjectus erit, ei qui sibi omnia subjecit, quatenus

Sententia loci, 1. Cor: 15.

is,qui nunc unà cum Deo regnat, & eatenus non subjectꝰ est, isto modo,quo nunc regnat,regnare desinet. Regnabit autem Deus de novo, nempe non per aliũ, sed in sua persona(quod est esse omnia) super omnes, hoc est,tam super Christum quàm super fideles. Regnabit etiam Christus. nam fideles cum illo regnabunt: Sed modus ille regnandi, licet futurus sit longè beatissimus,non est tamen futurus similis ei, quo nunc Christus regnat super angelos & homines & omnia quæcũq; sunt extra Deum, ut ipsa res loquitur. Et licet inter omnes fideles Christus futurus sit excellentissimus, quia tamen illi unâ cum eo regnabunt,subjecti ei non erunt,ut etiam Christus nũc, quandiu regnat, patri suo subjectus re ipsa non est. Hoc est illud admirandũ nostræ salutis mysterium, quod falsa de Christi persona opinatio prorsus ex animis hominum evulsum cupit. Deo autem est laus, qui nobis oculos mentis aperuit ad ea cognoscenda, quibus homini mortali nihil desiderabilius esse potest.

Argumentum 10. Decimum argumentum esto. Christus est exaltatus & accepit adorationem in tẽpore.Ergo non est unus ille Deus.Respondet Schopperus thesi 61.ex Athanasio. *Quomodo illud accepit,quod semper habuit, antequam acciperet? aut quomodo exaltabatur, qui, priusquã exaltaretur, altissimus erat? aut quomodo accepit, ut adoretur,qui antequam hoc acciperet, semper adorabatur?* Admittimus istam consequentiam. Sed negamus assumtionem,Christum semper habuisse,quod accepisse dicitur, altissimum item & adoratum fuisse semper. Quid hic respondet Athanasius? *Non est ænigma*, ait, *sed mysterium divinum: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Post modo autem in gratiam nostri Deus caro factus est.* &c. quorum summam tandem ipse Schopp. talem facit. *Ex quibus verbis elucescit,quòd D.Athanasius loca S. scripturæ de acceptis & datis in tempore, item de exaltatione intellexerit de Christo non secundum ejus divinã, sed secundum humanam naturã.*

Responsio.

Refutatio. Digna sanè tum Athanasio tum Schoppero responsio. Ergo,quia non ænigma sed mysterium divinum est: In principio erat verbum &c.Christus fuit altissimus & adoratus semper,& omnia semper habuit. Hæc verò,quàm sint ab omni vero aliena, alibi a nobis fusissimè demonstratum est, tum in homiliis super hunc locum, tum in refutatione libelli M. Smiglecii Iesuitæ, cui titulus est, *Verbum caro factum est*. Vbi docuimus:Neminem ante Iesum, natum ex virgine,esse illum sermonem Dei: hunc fuisse in principio, non omnium rerum, sed Evangelii: hunc fuisse,in illo scilicet principio Evangelii,apud Deum,quia vel re ipsa ad Deum in cœlos ascenderit, vel quia Deo tunc soli notus fuerit. Et hinc potiùs concludi,ser-

De loco Ioh: 1. 14.

monem

monem illum non esse ipsum Deum unum, quia apud Deum fuerit. Deus enim unus apud Deum nunquam fuit: & si Iohannes antea dixisset, sermonem fuisse ab æterno, non opus fuisse addere, quòd apud Deum fuerit. cùm hoc ex illo consequatur necessariò, nec ab æterno quisquã esse possit, nisi apud Deum. Hunc porrò sermonem Deum esse, non ob naturam sed ob munus. Nam si ob naturam Deus appellaretur, essent duo naturâ Dii: Et si antea dictum fuisset, sermonem esse ab æterno, jam non opus fuisset dicere, eum fuisse Deum. Nam quod ab æterno est, & persona est, non potest esse nisi Deus. Sermonem verò vel Deum illum carnem esse factum, docuimus a Iohanne non dici: sed contra dici, sermonem illum, quem ob munus Deum appellaverat, carnem fuisse quoad naturam, ne scilicet quis ob tot & tanta Sermonis encomia alíus eum naturæ esse crederet, quàm ejus, de qua Matthæus & Lucas prolixè scribunt, nempe humanæ, dum ejus conceptionem & nativitatem tam accuratè persequuntur. Ad quæ lectorem jure remittere possumus, quia nullo argumento Athanasius ostendit, quomodo ex verbis Iohannis, ista, quæ probanda ipsi erant, vel per speciem consequantur. Alterum verò, quod tanquam summam Athanasii dictorum Schopperus repetit, nonné est ista crassa adversariorum fallacia, quâ, quod in principio est, impudenter petunt? Quæstio est, an Christus habeat divinam naturam. Negatur ea a nobis, tum alias ob causas, tum quòd Christus exaltatus sit a Patre & ab eo adorationem acceperit. Respondent nobis aduersarii: Exaltatum eum esse & accepisse adorationem, non secundùm divinam, sed secundùm humanam naturam, quod est vel alios ludificari, vel desperationem causæ prodere.

Affert præterea Schopperus, quid super hoc dictum Christi. *Omnia mihi tradita sunt a Patre*, ex quibus invictum etiam argumentum ejus, quòd Christus non sit unus ille Deus, peti potest, idem Athanasius scripserit. Sed verba Athanasii tantùm vel convitium sunt, vel nuda erroris assertio, refutationis verò in ea ne minimum apparet vestigium. Ait, sectatores hæreseos Arianæ istud non intelligere, & in Dominum impiè agere dum ità argumentantur: Omnia a Patre tradita sunt Christo. Ergo fuit quando non habebat: & ait, ex illo ipso dicto magis illorum insaniam refutari. Hoc, inquam, est convitiari adversarium, non refutare. Addit porrò: *Quapropter impiorum sententia vana & futilis est. Neque enim ut sentiunt res ita se habet, sed sub iis verbis, dispensatio rerum per carnem gerendarum significatur.* Hoc, dico iterum, est & convitiari, & sententiam nudè dicere. Quod utrumque ad refutandum adversarium nihil valet: Eum verò, qui ita

Refutatio aliorũ quorundam dictorum Athanasii.

 segerit,

ſe gerit, & a pietate & veritate deſtitutum eſſe, teſtatur. Hîc jam miſſis argumentis Arianorum veterum, Schopperus recentium etiam quædam recenſet, quæ unde deprōpſerit equidem neſcio. Non malè autē ſuæ exiſtimationi & noſtro etiam & aliorum commodo conſuluiſſet Schopp:, ſi locum, ubi ea ſcripta extant, annotaſſet. Solent enim raró argumenta noſtra fideliter recitare adverſarii, & magis argumenta noſtra reſponſionibus ſuis, quàm reſponſiones argumentis accommodant. Sed videamus tamen quænám ſint iſta argumenta, & quænám eorum ſolutiones.

Argumentum 1. recentiorum.

1. Argumentum eſt th: 63. Deus eſt ens primum, perfectum, immutabile, a nullo pendens, per ſe ſufficiens. Sed filius pendet a Patre, quia ab illo eſt genitus. Ergo non eſt verus, hoc eſt, unus vel ſummus Deus. Sic enim ſemper vocem *verum* accipere neceſſe eſt.

Reſponſio Sch:

Reſpondet Schop: ad Minorem: *In rebus humanis ita eſt conſtitutum, ut genitus a genitore pendeat, & per ſe non ſit ſufficiens. Sed in reb⁹ divinis eſt alia ratio.*

Refutatio.

Ergo alia eſt veritas Philoſophica, alia Theologica, & falſum aliquid erit in Philoſophia, quod verū eſt in Theologia, & viceverſa? O brutā religionem. Sed audiamus probationem. *Nam ibi, ait, Filius non ita a Patre gignitur, ut ab eo pendeat, id eſt, ut per ſe nō ſit ſufficiens ὑφιςάμενον, ſed per ſe ſubſiſtit, nec a Patre ſuſtentatur.* At hæc non eſt ratio, ſed ſimplex ſententiæ veſtræ recitatio. Ratio autem ſuadet cōtrarium. Semper enim id, quod ab alio producitur ab eodem dependet. Audiamus reliqua: *Nam illa generatio Filii Dei eſt æterna, ut ibi non ſit prioritas temporis: ſed ſicut eſt Pater æternus, ſic etiam filius eſt æternus.* At hoc eſt principium petere. Nunc enim de eo ipſo quæſtio inſtituta, & argumentum propoſitum eſt, quod pro reſponſione affertur. Sed reſtat ratio: *Si filius non ſit æternus, nec Pater eßet æternus, quia Pater eſt reſpectu Filii.* At hæc ratio ſupra ex Hilario allata fuerat ad argumentum ſeptimum. Imò hoc ipſum argumentum ibidem reipſa tractatum fuerat. Cur igitur idem otioſè repetit Schopperus? Dicimus autem iterum: Scripturam nuſpiam Deum, æternum Patrem appellare. Eſt quidem Deus is, qui Pater eſt, æternus: ſed quatenus Pater eſt, tam æternus non eſt, quàm creator æternus non eſt, etiamſi is, qui creator eſt, æternus ſit.

Argumentum 2.

Argumentum 2. eſt theſi 64. Quicunque generatur, neceſſe eſt ut incipiat eſſe. Sed filius eſt generatus. Ergo fuit tempus quo cœpit eſſe.

Reſponſio Sch:

Reſponſio eſt. *Hæc argumenta omnia ſunt deducta ex ratione humana, ubi fieri ſolet, ut generatus modò a generatione incipiat eße. Sed generatio filii Dei non eſt temporalis, ſed æterna: ideo etiam non in tempore cœpit eße, ſed habet ſuum eße ab æterno.*

Refutatio.

En habes legitimam & ſolidam argumenti ſolutionem, ſimilem prorſus antecedenti. Ergo etiam ex iis,

am ex iis, quæ modò diximus, quid de illa ſentiendum ſit, collige. Me quidem pudet iſtarum anilium reſponſionum, &, niſi aliter ſe gerant adverſarii, hoc ipſo omnes, qui aliquid ſapiunt, a ſe & opinione ſua brevi deterrebunt. Meminerit autem lector eorum, quæ ſuprà ab initio ad theſin 9, 10, 11. annotavimus. Ibi enim ex ratione humana argumenta affert ipſe Schopperus: hîc ex eadem ratione deducta rejicit.

Argumentum 3. eſt, theſi 65. In æternitate non eſt prius aut poſterius. Sed in generatione filii Dei eſt prius & poſterius. Pater enim genuit, quod eſt prius: filius eſt genitus, quod eſt poſterius. Ergo illa generatio non eſt æterna. Reſponſio Schopperi eſt: *In rebus humanis ita habet, ut genitor ſit prior & genitus poſterior. Sed in divinitate alia eſt ratio. Nam hìc non licet imaginari aliquod tempus, quo filius genitus non ſimul cum Patre fuerit: ſed ſicuti Pater eſt æternus*. Aſſcripſiſſe iſta, ſatis eſt ea refutaſſe. Nam primùm verbis tantùm hoc argumentũ differt a præcedentibus, re ipſa verò idem eſt cum illis. Deinde reſponſio non tantùm re ipſa, ſed verbis etiam, una eſt cum præcedentibus. Quorſum igitur tempore & lectore abutimur? Principium pertinaciter petere, non eſt argumentum ſolvere. Generationem in eſſentia divina dari negamus: Deum ab æterno generaſſe filium, nusquam extare contendimus: tempus & modum alíus generationis filii Dei ex ſacris literis ad oculum oſtendimus. Quomodo igitur nobis generatio ex eſſentia Dei, eaque ab æterno tam importunè obtruditur? Exemplum ſolis & radiorum, qui ſimul cum ſole eſſent æterni, ſi ſol eſſet æternus, nihil huc facit. Nec enim Deus ita ſine filio eſſe non poteſt, ut ſol ſine radiis eſſe non poteſt naturâ. Cùm Deus eſſe poſſit, etiamſi Pater non ſit: aut doceatur contrarium, Deum ſcilicet ſemper Patrem fuiſſe, quod nunquam futurum perſuaſiſſimum nobis eſt.

Argumentum 9. | Refutatio Sché | Refutatio.

Argumentum 4. eſt theſi 66. Omnis generatio, poſtquam productus eſt terminus illius, conquieſcit. Sed æternæ generationis (ſecundum adverſarios) terminus eſt λόγος. Ergo poſtquam productus eſt λόγος, conquievit illa æterna generatio. Reſponſio Schopperi eſt: *Hoc argumentum etiam ex rebus humanis eſt mutuatum, in quibus generatio facta tandem quieſcit. Sed in Trinitate alia eſt ratio, quòd ſcilicet illa generatio Filii Dei æterna, non temporalis.* Sic ſcilicet argumenta ſolvuntur: ſic adverſarii refutantur, & ab errore ſuo retrahuntur. Si generatio filii Dei nondum eſt facta, ſed adhuc fit, ergo nondum eſt filius Dei generatus, ſed tantùm adhuc generatur. Cur igitur dicitis: Deus genuit filium, & non potiùs, Deus gignit filium? Impoſturæ ſunt iſtæ, quibus humanum genus is faſcinavit, qui omnis mendacii autor eſt, connivente Deo, & hac ratione de hominibus,

Argumentum 4. | Reſponſio Sché | Refutatio.

quibus

quibus simplex veritatis oratio non arridebat, supplicium grave quidem sed justum sumente.

Argumentum 5. fictitium.

Argumentum 5. facit thesi 67. Si filius est coæternus, non poterit suum esse & durationem a Patre accipere. Sed est coæternus secundum Trinitarios. Ergo non potuit suum esse, & durationem a Patre accipere. Hoc argumentum isto modo formatum pro nostro non agnoscimus. Nec enim nobis propositum est probare, Christum non potuisse suum esse & durationem a Patre accipere, sed potiùs, quia esse suum a Patre accepit, hinc, eum non esse illum Deum, qui Pater est, validissimè evincimus.

Argumentum 6.

Argumentum 6. facit thesi 68. Hypostasis τοῦ λόγου vel erat in Patre, cùm generaret λόγον, vel non erat. Si erat, ergo est una persona Patris & Filii. Sed & hoc argumentum mutilum est, quanquam rectè formatū, verissimum sit. Resp: verò Schop: aliud nihil est, quàm ipsius cantilena, quam eâdem chordâ oberrans ad ravim usque iterat, nempe petitio principii. Sic enim ait: *Respondeo: Filius est in Patre per identitatem eßentiæ, non autem per identitatem personæ. Pater & λόγος habent unam communem eßentiam, sed non unam ὑπόστασιν vel personam. Nam Pater est persona gignens, λόγος persona genita.* Quæ ita asscripsisse, satis etiā est ad ea refutāda. Nam qui sic respondent, ii, quod rectè respondeant, non habent. Ratio docet: Tot esse essentias, quot sunt personæ, cùm persona nihil aliud sit, quàm essentia individua intelligens: Schopperus verò essentiam a persona distinguit. Essentia Dei numero una est, &, ut sit, necesse est: Schopperus verò ait, eam esse communem. Quod commune est, numero unum non est: Quod numero unum est, commune esse nequit. Persona est gignens Pater, genita filius: Sed nec Pater ex essentia gignēs, nec filius ex essentia Patris genita persona est. Generavit enim Deus filium suum ex virgine Maria. Quid igitur respondit Schopperus?

Responsio Schop: & ejusdem refutatio.

Argumentum 7. Parum rectum.

Argumentum 7. facit: Mediator medius est inter personam offendentem & offensam, nec altera earum potest esse mediator. Sed persona offensa est Deus Israelis, qui unus est: & mediator est Christus. Ergo Christus non est ille Deus Israëlis. Et hoc argumentum ita formatum nostrum non est. Nos enim Deum personam offensam esse nusquam dicimus, sed si ita loquimur, ex mente aduersariorum id facimus. Videamus autem, quid ad illud respondeat Schopperus. *Quod ad Christum attinet, is secundum Deitatem etiam est persona offensa, scilicet nostris peccatis: Sed jam ita conventum est in consilio S. Trinitatis, ut media persona, Filius Dei, assumta carne fieret Mediator generis humani, ac*

Responsio.

imò paucissima. His firmiter stantibus & retentis, etiamsi tandem quis multa clarissima vel non intelligat, vel eis se opponat, vel etiam de illis dubitet, & eatenus ea neget, salutem alicujus periclitari simpliciter dici nequit, quantumvis eum graviter & turpiter errare, jure dici possit.

Sed pergamus cum Ravenspergero discurrente: *Personam Christi*, ait, *eos impugnare, qui vel ejus humanitatem vel divinitatem oppugnant.* Hoc probandum erat. Non enim personam, sed naturas Christi isti impugnant. Personam autem Christi is tantùm impugnaret, ex mente Ravensp., qui negaret, eum esse divinam personam. nam talis tantùm est Christus ex mente illius: Ex mente autem nostra & ipsius veritatis, is personam Christi impugnat, qui negat, eum esse personam humanam. Talis enim tantùm est & esse potest Christus. Homo enim nemo sine persona humana esse potest. &, si subjectum aliquod sit persona humana, jam persona divina idem esse non potest. Sic Ravensp., quicquid ei visum est, pronunciavit. De illa, ait, Iohannem dicere 1 Iohan. 4. 3. *Qicunq; Spiritus non profitetur* (Iohannes ait: omnis spiritus qui non confitetur) *Iesum Christum in carnem venisse, ex Deo non est. Sed* (Iohannes habet, *Et*) *hic est* (Spiritus) *Antichristi.* Mox verò de suo addit Ravenspergerus, idq; literis majuscu lis: *Iesus venit in carne, hoc est, verus æterni Patris Filius, idemq; verus Deus homo est factus, non mutatione divinitatis, sed aßumtione humanitatis, ut in humana natura fieret victima, expiaretq; peccatum & placaret iram Dei.* Concludit tandem: *& hunc Iesu in carnem adventum Sociniani negant, cùm eum non incarnatum, sed solum hominem ex Maria virgine natum scribunt.* Vereor, ut errores, quos hîc infarsit Ravensper, omnes enarrare, nedum examinare possim. 1. Verba Iohannis non secundùm veritatem græci textus citat, sed secundùm vulgatam, quã vocant, vel alios, qui eam sequuntur. Verba enim græca sic cõvertẽda sunt: *Omnis spiritus, qui nõ confitetur Iesum (esse) Christũ qui in carne venit,* est enim, ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, *ex Deo non est.* Differunt autem *in Carne venire, & in Carnem venire.* Nam qui in carne venit, eum tunc, cùm venit, carnem habere præsupponitur. nam in eo, quod quis non habet, nemo venire potest: Qui verò in carnem venit, eum quidem antea extitisse præsupponitur, quàm in carnem veniret, sed sine carne. Quod quia sentiunt adversarii, ideò scripturam, quę sponte sua illis non favet, faventem sibi per summam vim, ne dicam scelus, facere conantur. Quæ una est ex artibus, spiritus illius maligni, quibus hodiè omnes ferè errores nituntur, nempe non opiniones ad sacras literas, sed literas sacras ad suas opiniones accommodare. Talis ars est

Quid sit Christi personam negare.

Errores Ravensperg.

Vitiositas versionum in locis singularibus.

Ioh: 1.14. illa: Verbum caro factum est, cùm legendum esset, Verbum caró fuit: Talis illa: Non enim angelos assumsit, sed semen Abrahæ assumsit.
Heb: 2.16. cùm legendum esset necessariò, Assumit, assumit. Talis illa: Antequã
Ioh: 8.58. Abraham fieret, ego sum, cùm legendum esset, Amen Amen dico vobis priusquam Abraham fiat, ego sum. Sed laus est Deo, qui istas artes nobis detexerit. Deinde istorum verborum *ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα* talis translatio, *In carnem venisse*, sensum Apostoli prorsus pervertit. Nam ex subjecto vel subjecti additione, facit prædicatum, quasi scilicet is sit spiritus Antichristi, qui negat, quòd Iesus Christus in carne venerit, quo nihil ineptius dici potest. Constat enim, posse aliquem confiteri, quòd Iesus Christus in carnem venerit, & tamen esse Antichristus, etiamsi tandem verum esset, in carnem venisse, esse, Incarnatum esse. Nam confessio incarnationis Christi efficere non potest, ut aliquis non sit Antichristi spiritu infectus. cùm multa alia esse possint,

Non omnis error Antichristũ constituit.

ob quæ verè & propriè spiritus Antichristi accusari quis possit. Non omnis enim error Antichristum constituit, sed is demum, qui vel sanctissimã Christi religionem vel fidem in ipsum tollit: quales in Papatu omnes videmus, & propterea etiam fugimus. Quamvis rursus non necesse sit, Antichristum tales tantùm errores spargere. Potest enim aliis etiam erroribus implicatus esse, is, qui spiritum habet Antichristi, ob quos tamen errores non est Antichristus, sed simpliciter in errore versans dici potest.

Non omnis, qui Antichristi errores quosdam sequitur, Antichristus est.

Breviter: Aliud est, habere errores, qui Antichristum constituunt, & errores Antichristi habere. possunt enim & alii, qui non sunt Antichristi, Antichristi tamen errores sectari, & hoc hodie fieri, nimis abũde experimur. Verba autem Iohannis ita sunt accipienda, ut subjectũ sit *Iesus*, prædicatũ *Christus*, verba verò, *Qui in carne venit*, descriptio sint subjecti. Vnde etiam alibi simpliciter dicitur:
1. Ioh: 2.2. 22. *Quis est mendax, nisi is qui negat, quòd Iesus non est Christus*, & Antichri-
1. Ioh: 5. 1, 5. stus is esse dicitur: & iterum ait: *Omnis qui credit, quòd Iesus est Christus, ex Deo natus est:* & iterum: *Quis est qui vincit mundum, nisi is qui credit, quòd Iesus est Christus*. Sensus autem verborum, *Qui in carne venit*, est,

Quid sit, In carne venire.

qui carne circundatus venit, hoc est, qui variis calamitatibus & ipsi morti obnoxius fuit, & tandem mortuus est. Ideo enim ab initio Iesum esse Christũ negasse malè feriatos homines, quia variis afflictionibus obnoxius & morte truculenta extinctus fuisset, Paulus testatur, dũ
1. Cor 1.23. ait, Iesum crucifixũ, Iudæis scandalum, Græcis stultitiã fuisse. Ita ut isti impostores, non negarent, Iesum in carne venisse: imò propter hoc ipsum, quòd scirent eum in carne venisse, Christum esse negabant. Et hunc esse horum verborum sensum, vidit etiam quidam Evangelicus

Thomas Naogeorgus.

Thomas Naogeorgus, qui commentariũ super hanc Epistolã scripsit.

2. Bis

2. Bis Ravenspergerus ait, Iesum in carnem venisse, semel verba Iohannis & iterum suam explicationem recitando, tertiò verò ait, Iesum in carne venisse, quæ inconstantia allegationis, quidnám sapiat, judicet cordatus lector. Sed hoc leviusculum est. 3. Quænám istæc audacia est, verborum Iohannis, *Iesus venit in carnem*, talem afferre explicationem, non in concione ad populum, sed in disputatione cum adversariis: *Verus æterni Patris Filius, idemq; verus Deus, homo est factus, non mutatione divinitatis, sed aßumtione humanitatis, ut in humana natura fieret victima expiaretq; peccatum, & placaret iram Dei?* Num idem est Iesus quod verus, nempe naturâ, Deus? Num idē caro, quod homo? Num idem in carne venire, quod incarnari? Num possibile est Deum hominem fieri posse? Num humanitas sine persona humana assumi potest? Num Deus, in natura licet humana, victima fieri potest? Num qui victima, fit, placat iram Dei? Num deniq; iræ Dei placatione, in salute nostra, ulla unquam opus fuit? Pudeat istarum næniarum & affaniarum omnes eos, qui soli ferè sibi sapere videntur, & alios tàm superciliosè condemnāt, quos erroris convincere nequeunt.

Divinitati Christi Cerinthum & Ebionem tempore Apostoli sese opposuisse, & posteaArrium, quod porrò scribit Ravensp., quam ineptè dicatur, docuimus in responsione ad thesin Schopperi 43. Nos verò eidem nos hodie opponere, quàm falsum sit, indies, Deo juvante, rectiùs constabit. Verā enim Christi divinitatē sartam tectam colimus, & vitâ nostrâ chariorem habemus: opinionem verò hominū, de divinitate Christi, extra & contra sacras scripturas conceptā, quia oppugnamus, homines, ut calumnia speciem veri habeat, opinionem suam pro Christi vera divinitate venditant, & eam oppugnari clamant. *Errores Ravensperg.*

In eo verò, *quod nos non longè abeße a negatione Christi universali, & proinde tanquā periculosos & perniciosos Christi hostes sedulo cavendos*, ait, *idq; illorū testimonio cōprobat, qui si inter duo mala unum sit eligendū, cum superstitiosis Papistis, quàm pestiferis Socinianis vivere malint*, oratorem agit Ravensp. & disputare delinit. Nos verò Ravenspergerum graviter errare & peccare etiam dicimus, dum talia in nos effutit, & nulla ratione probat. Addimus etiam, illum, si sapuisset, prorsus debuisse a recitanda quorundam sententia ista abstinere. Nam si eam improbat, cur ad rem tantam probandam affert? Si probat, quid pietatis ea in re sit, ipsemet consideret. Nos esse pestiferos, adhuc controversum est: Papistas verò, esse non tantùm superstitiosos (ut isti boni viri, malum extenuādo, dicunt) sed etiam Idolatras, jam omnibus, qui a Papatu discesserunt, innotuit. Hem quo studium detrahendi aliis, quos superare rationibus non possis, homines in cautos deducat? *Immaturus zelus adversariorum.*

 Sed jam

Sed jam tandem, harum elegantium præmissarum, elegantem audiamus conclusionem: *Quicquid homines reddit mendaces & Dei Patris ac Filii ejus hostes, id etiam salutis viam prorsus obscurat & impedit. Atqui Trinitatis negatio homines mendaces reddit, & Dei Patris ac Filii ejus hostes.* Ergo. In Majori, nisi vox *mendaces* accipiatur pro talibus mendacibus, quales Iohannes describit, fallaciam inesse dicimus manifestissimam. Nam non omne, quod hominem facit ita mendacem, ut tantùm erret, æternam salutis viam prorsus obscurat. Audiamus probationem Minoris: *Quia*, inquit, *Trinitatis personarum negatio, introducit Deitatis Iesu Christi, & satisfactionis* (quod Ravensp. addit) *ejus negationem. At negatio Deitatis Christi est ipsius Christi negatio, ut suprà* &c. Sed quis non videt crassam petitionis principii fallaciam in hac Ravensperg. argumentatione? Nam pro Deitate Christi accipit id, quod ipse cum suis de ea sentit. Quam opinionem falsam, absurdam, & sibi contradicentem, sacris literis & sanæ rationi repugnantem, nos non tantùm asserimus, sed firmissimis argumentis demonstramus. Videat igitur Ravensp., quomodo tanti nos sceleris convicerit, cujus nos insimulare non erubuit: Consideret etiam, quo jure in ipsum retorqueri argumentum possit, si par pari referre propositum nobis esset. Vix enim inter omnia dogmata, quæ adhuc inter Evangelicos (quos vocant) vigent, ullum magis viam salutis æternæ obscurat, quàm dogma Trinitatis, qualem fingit Ravensp., & dogma illud satisfactionis Christi.

Fallacia Ravensperg.

Monitio porrò, quâm vult Ravensp., ne omnes, qui Trinitatem ipsius negant, damnentur, cùm fieri possit, ut eam iterum confiteantur, sapit aliquid sobrietatis & modestiæ, sed scientiæ habet non multùm. Vnde enim hoc didicit, eum servatum iri, qui Trinitatem ipsius confiteatur? Cùm nemo non videat, posse istam opinionem sine vera in Deum & Christum fide, ut & veram in Deum & Christum fidem sine ista opinione consistere.

Opinatio de Trinitate non servat per se.

Sed adhuc plura pronunciat, de iis, qui Trinitatem (quam ille somniat) hostiliter oppugnant: *Si contra conscientiæ testimonium, vel scientes illud faciant, merito*, ait, *de illis dubitari, nec tamen planè, nisi de commisso in Spiritum S. peccato (cujus forma magis intus lateat, quàm foris pateat) constet, desperari. De alteris judicium Deo relinquendum. In summa* ait: *Causam istam sive errorem, suâ naturâ ad gehennam semper ædificare: personam aliquando Dei gratiâ adjutam, errorem respuere, & damnationem errori debitam effugere.* At hoc totum nihil esse, quivis perspicere potest, nisi constet dogma Trinitatis, quale sectatur Ravensp., verum esse. Verum autem esse non potest, quia nec in sacris

Cur dogma Trinitatis verum esse nequeat.

literis

literis continetur, nec ex iis deduci potest, nec rationi deniq; sanæ congruit. Proinde idem etiam nos de illis, qui dogma Trinitatis, contra veritatem manifestissimam de uno Deo, qui Pater solus est, & Iesu Christo, qui filius Dei ex virgine Maria natus est, & Spiritu S., qui virtus Dei est, defendere pergunt, & veritatis hujus sacrosanctæ professores odio prosequuntur, &, quantum in illis est, vitâ etiam privatos vellent, dicere & summo jure possemus, si, cum Ravensp. extra oleas vagari, & loco disputationis, paræneticis vel decretoriis orationibus certare vellemus. Deum oramus, ut vel veritatem hominibus patefaciat, vel mentem saltem eis magis sobriam largiatur, ut neminem, qui fide in Iesum Christum vera præditus est, condemnare unquam præsumant.

De Majestate Mysterii Trinitatis disserturus Ravensp: thesi 4. ait, *eam tantam esse, ut non sit comprehensibile, sed credibile: non effabile, sed admirabile: non per naturam inditum, sed per gratiam revelatum, & quidem quo ad τὸ ὅτι non quoad τὸ διότι. Naturæ verò non tam repugnare, quàm eam superare.* Respondeo. Vnum tantùm petimus, ut doceatur, esse revelatum. Tunc enim nos statim illud approbabimus: Si verò revelatum non sit, ut incomprehensibile & ineffabile, ita falsum & ridiculum illud repudiare nobis licere, nemo puto, diffitebitur. Nam ubi ratio desinit, ibi, revelatio incipiat, necesse est. Si verò nec revelatio nec ratio aliquid suadeant, procul omni dubio pro errore illud censendum est.

Vnde veritas rei in religione petenda.

Sed Ravensperg: nos detinet, & vult priùs docere, esse incomprehensibile, eo quòd Seraphin apud Esaiam duabus alis facies suas texerint. O acutam probationem. Si Apostolus esset Ravensperg:, satis multa a nobis requireret. Alis facies tegunt angeli: Ergo tegunt eas coram Trinitate. Quid si dicamus, ideo alis duabus facies suas texisse Seraphin, quia Dei illius unius, qui Pater est, majestatem aspicere omnes non valeant, quid hîc absurdi esset? Certè enim ex ista faciei tectione, tantùm majestas illius, quem viderunt, colligitur: Qui verò hinc, quòd, quem viderunt, sit Trinus in personis, unus essentiâ, colligere velit, ei medicamentis opus est. O miseros eos, quos talibus conjecturis fidem suam superstruere oportet. Hinc porrò constat, quàm sint frivolę tres sequentes illationes Ravensp:. Prima enim, dum ait, *impossibilem esse conatum eorum, qui personarum Trinitatem in unitate essentiæ, non modò ex gratiosa Spiritus sancti patefactione, sed naturali etiam raciotinatione evincere & docere nituntur*, pro nobis militat, contra Ravensperg: socios, qui sæpe, desperatione adacti, ad Ethnicorum

Argumentum Ravensperg: infirmum.

thnicorum deliria confugiunt, & eadem, quæ ipſimet profitentur, ab illis etiam tradita fuiſſe, imperitè objiciunt.

Quanquam in eo iterum cum illis facit Ravenſp: & ad ingenium redit, dum ait, *ſententiam Ethnicorum ex priſca Hebræorum doctrina & puræ religionis reliquiis manaſſe:* Quomodo verò ex priſca Hebræorum doctrina manare potuit, quod prudentiſſimi Hebræorum tanquam falſum repudiant, & quod pleriq́ue inter Chriſtianos Theologi, adeoque ipſe Ravenſperg:, paulò infrà priſcis Hebræis incognitum fuiſſe concedunt? Hujusmodi contradictionum memorem eſſe oportet eum, qui alios docendi & damnandi ſibi ſumit licentiam.

Altera illatio eſt, *quòd effrenata ſit eorum audacia, qui in ſtupendam illam abyſſum temerè irrumpunt, & ſpinoſis ſuis argutiis nihil intactum atq́ue intentatum relinquunt, & ſenſuros hos curioſos, ſcrutatores (non ſcripturæ Ioh: 5.39. ſed) Majeſtatis tandem a gloria opprimi.* Sed hæc verba ſunt, & terriculamenta puerilia, quæ viri non exhorreſcunt, qui argumenta ſemper habent parata, quibus errorem, quantumvis antiquitate quadam confirmatum, infirmare poſſunt. Scrutatores ſcripturæ, quinàm ſint, dies docebit. Scrutatores Majeſtatis eos eſſe, qui credunt, Deum, ut unus eſt eſſentiâ, ſic etiam perſonâ unum eſſe, nemo niſi affectu animi excœcatus unquam dicet. Hæc enim eſt ita ſimplex confeſſio, & ad omnium captum accomodata, ut nulla ſcrutatione indigeat: Qui verò, in ſimpliciſſima & numero una Dei eſſentia, trinitatem perſonarum ſtatuunt, an hi potiùs Majeſtatem ſcrutentur, quàm ſcripturas, penes lectorem judicium eſto.

Quis dici debeat ſcrutator majeſtatis.

Tertia illatio Socinum petit, qui docet firmiſſimè, doctrinam Trinitatis ideo etiam falſam eſſe, quòd pugnet inter ſe, Deum eſſe numero unum, & tamen tres eſſe, quorum unus quisq́ue ſit ille Deus unus; & addit, ſi dicatur, unum eſſe numero, ſed ratione eſſentiæ, trinum verò ratione perſonarum, rurſus hîc contraria dici. cùm tres vel etiam duæ perſonæ eſſe nequeant, ubi eſt una tantùm numero ſive individua eſſentia: ſed ad plures unâ perſonas conſtituendas, plures etiam unâ individuas eſſentias requiri. Hanc Socini invictam argumentationem, indignam Theologo vocem appellat Ravenſperg:, & addit, *Neminem tam eſſe ſtolidum, qui non lubricam hanc demonſtrationem animadvertat, quâ ex ſenſu communi refutaturus ſit id, quod omnem ſenſum humanum longiſſimè ſuperat; argutias cerebri illius non imperaturas doctrinæ verbi Dei: ſufficere ſibi, myſterium illud ex ſcripturis cognitum humili fide & pietate adorare, curioſam & furioſam temeritatem ſcrutandi omnia, quæ ſibi Deus reſervavit, vitare.* Sed ſufficiant tandem verba Ravenſpergere. Id quod rationem ſuperat, ratione evincere vel-

cere velle, verè cum ratione insanire est: At docere, verum non esse in Theologia, quod rationi sit contrarium, verè & secundùm Deum est ratiocinari. Hoc facit Socinus, illud verò nec cogitavit unquam. Doceatur igitur, non esse contra rationem, id quod impugnatur, & doceatur, vel rationibus, vel saltem scripturæ testimoniis, & nos manus protinus dabimus: At istæ cavillationes & aniles sugillationes homine cordato, nedum Theologo, prorsus indignæ sunt.

Nihil rationi cõtrarium in religione.

Denique quòd allegorizans, *Socinum similem esse*, ait, *tribuno illi, cujus manu Rex Israël nitebatur, qui cùm Elischach in durissima obsidione Schomronis subitam & maximam prædiceret abundantiam, dicebat: Ecce si Iehova faceret cataractas in cælis, an posset esse res ista: se verò similem Elischach, qui respondit: Ecce tu visurus es oculis tuis, sed ex eo non es esurus; & idem se nobis respondere, quòd experturi simus tandem in universali & solenni judicio Iesum Christum verum & æternum cum Patre & Spiritu sancto esse Deum, quòd majestatem SS. Trinitatis mente incomprehensibilẽ & lingua ineffabilem exauditurі simus, sed nec aspectu ejus beato fruituri, nec mansiones cælestes ingredi nobis datum iri. Se cum Abrahamo verbis Iehovæ credere, non dubitantem, id sibi ad justitiam imputatum iri; se ea quæ Deus de se in suo verbo testatus est, humili fide assumere, nec id quod cerebro humano impossibile videtur, illico ridere, ut Sara*, in eo, quomodo suæ autoritati Doctorali, præsertim ubi disputandum est, consulat, nolo nunc exponere. Veritati quomodo patrocinetur, uno verbo doceo: Doceat Ravensperg: prophetam aliquem vel Christum id dixisse, quod sentit ipse de Trinitate, quemadmodum docet, prophetam olim prædixisse istam abundantiam, & nos id statim credemus, nec unquam id ridebimus. Hoc verò si facere nequeat, & dogma illud tum a sacris literis tum a vera ratione destitutum deinceps esse appareat, quid speret amplius, quàm ut ex animis hominum piorum exterminatum, perpetuo risu dignum habeatur?

Puerilis disputandi Ravensp. ratio.

Sed nunc veritatem Mysterii hujus audiamus. Primùm ait thesi 7. hanc doctrinam subobscurè priscæ Iudæorum Ecclesiæ fuisse traditam: se tamen posse, eam, non tantùm pluralitate personarum indeterminatam, sed etiam numero ternario determinatam firmiter ex veteri Testamento concludere. Sinamus nunc ista, quæ refert, nescio unde, Ravensp:, quòd Iudæi nunquam sint confessi tres personas, sed unum tantùm creatorem Deum. Hoc enim ita manifestum est, ut multi Theologi id ipsum disertè fateantur. Demus, nos teneri ea credere de Dei etiam essentia, quæ Iudæis non erant revelata. Probetur tantùm, istud mysterium in veteri Fœdere non fuisse ignotum: nunc verò esse revelatum.

Prius igi-

Prius igitur probat locis, Genes: 1. 26. & 3.22. & 11. 7. & 19.24. Exod: 20.2. Deut: 5.12. Hos: 1. 4, 7. Zach: 3.2. Vis ratiocinatis est 1. quòd Deus de se in plurali numero loquatur. 2. quòd pluribus, quàm uni nomen Iehovæ tribuatur. Ad prius argumentum respondimus, in superiori disputatione adversus Schopperum prolixè, quo lectorem benevolum remittimus: Ad alterum in hoc ipso scripto paulò superiùs. Summa est. Locutio de Deo in numero plurali, personarum in Deo pluralitatem non infert. Extant enim exempla plurima in omnibus linguis, ubi homines, præsertim penes quos est aliqua potestas, de se solis loquentes, plurali numero utantur. Nomen Iehovæ Spiritui S. nusquam tribuitur: sed id, quod semel Iehovæ tribuitur, id iterum Spiritui S. tributum esse concedi potest, quia Spiritus S. sit Dei virtus. De Christo idem nomen aut non legitur disertè: aut si tamen legi quis contendat, ideo id ei tributum esse dici potest, quia personam Iehovæ sustineat. quemadmodum etiam Angelis id ideo tributum esse constat.

Cæterum cùm parum esse videret Ravensp. pluralitatem personarum affirmare, nisi etiam Trinitas ostendatur, cùm non omnis pluralitas sit Trinitas, probat id etiam ex loco Es. 6. ubi ter dicitur, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Sed quàm hoc sit frivolum, ostendimus in responsione ad thesin Schopperi 29. Verba etiam sequentià Esaiæ: *Quem missurus sum, & quis iturus est nobis*, partim huc non faciunt. nunc enim Trinitas, non pluralitas personarum probanda erat: partim in eadem responsione nostra ad th. 23. explicata sunt. Argumentum deniq; ex eo ductum, quòd hæc verba de Deo Patre dicta, ad Filium accommodentur, Ioh. 12, 41. & de Spiritu S. dicatur, quòd per Prophetam Esaiam hæc verba dixerit, quàm sit infirmum, supra in hac responsione nostra abundè demonstratum est. Vetustorum quorundam exemplarium, quæ aliàs se producturum Ravensp. pollicetur, in quibus habeatur, Sanctus pater, Sanctus filius, Sanctus Spiritus S., autoritas & fides penes lectorē esto. Equidem falsissimò de illo gloriari Ravenspergerum, persuasissimum hactenus habeo. Cur enim nunc istud non ostendisset, cùm de Trinitate ex professo (ut sic loquar) disputatur? Et si illud ostendi nequeat, cogitet Ravensp., quid de eo eruditi omnes sint cogitaturi deinceps.

Audacia Ravensperg.

Audiamus quomodo ex novo Testamento mysterium Trinitatis clarissimè ostendere conetur Ravensp. Adducit loca Matth. 3. 32, 33, 34, & 28, 19. 2 Cor. 13, ult. 1 Ioh. 5, 7. Ad hæc loca respondimus sufficienter in superioribus. Videatur responsio ad thesin Schop. 31, 32, 33, 34, 35, 36, 37. Vnde etiam peti poterit refutatio eorum, quæ deinceps Ravensp.

mani, ac ita jam illa ipsa secunda persona Trinitatis, quæ fuit offensa, etiam facta est reconciliatrix, per quam tota Trinitas est reconciliata. Vide D. Philippum in libello de controversia Stancari. Risum mihi & indignationem movit Schopperus hac ultima sua responsione. Quis enim non rideat istud consilium S. Trinitatis, de quo ne minima in sacris literis mentio? Quis porrò non indignetur, ista tam audacter effutire eos, qui solo verbo Dei, omnia, quæ ad salutem pertinent, demõstrari posse, hactenus contra Pontificios tam constanter urserunt? Nonné hac disputatione probandum sumsit Schopperus, quòd Christus Deitatem, nempe naturalem, habeat? Cur igitur, ac si id extra controversiam & a nobis approbatum esset, hoc ipso nos retundit, & objectiones diluit? Nonné a nobis negatur istud bellum commentum de reconciliatione Dei? Nonné disertissimis sacrarum literarum verbis docemus, Deum propitium fuisse humano generi, priusquã Christus in mundum veniret? Nonné docemus, Christum mediatorem inter Deum & nos constituendum fuisse, etiamsi peccatum humani generis nullum intercessisset? nam ante constitutionem mundi Deus nos in Christo elegit? De Spiritu verò S. reconciliato nonné est putidũ commentum? Quorsum igitur istæ aniles nugæ de consilio Trinitatis, ut media persona fieret mediator humani generis, & totam Trinitatem reconciliaret, tam importunè obtruduntur?

Refutatio responsionis.

Gratias agit uni & Trino Deo Schopperus, quòd se salvivifica sui agnitione illuminârit, & ex parte jure eum id facere confitemur. Sed quid putat nos facere, dum istos tam crassos errores, & eorũ tam pueriles defensiones audim9? Ex animo, Deo uni, Patri nostro, & Iesu Christo, uni Domino nostro supplices, quantas possumus maximas, agimus gratias, quòd ex istis absurdis, ridiculis, seipsos destruentibus & perniciosis erroribus nos eruere dignatus sit. Rogat eundem Deum Schopperus, ut se in eadem agnitione sui usq; ad finem conservet: Ego verò Deum illum unum verum, patrem nostrum, & Iesum Christum filium ejus, Dominum nostrum, pro ipso humiliter oro, ut ex tantis eum & omnes alios, qui Evangelicorum titulo gaudent, tenebris clementer eripiat. Interim tamen, si nihil per malitiam a nobis hac in re fiat, & veræ pietatis studiũ inter nos vigeat, spero, imo certò persuasum habeo, nos non tantùm in hac, sed etiam in altera beata vita, Deum cum sanctis angelis concelebraturos, cantantes, non tantùm uni Deo: Sanct9, Sanctus, Sanctus Dominus Zebaoth. hæc enim est vetus cantio, hoc est, vetus Deum celebrandi modus, sed etiam Sanctus, Sanctus, Sanct9 Dominus noster Iesus Christus, quæ est nova cantio. Sedenti in Throno, & Agno, honor, laus, & benedictio in secula seculorum, Amen.

Animus autoris erga Schopperũ.

Ad Demitrovitium Lithvanum.

NOn erat, Demitroviti, quòd ad theses Schopperi istâ tuâ oratiũculâ applauderes, nisi forte, ut chartas vacuas suppleres. Temeritatem appellas, velle Essentiam Dei perscrutari. In hoc verò Schopperũ tuum perstringis. Nam qui Deum unum essentiâ & personâ esse credit, is nihil, quod non sit notissimum, & ad captum omnium accommodatissimum omnibus, fatetur: Qui verò essentiam numericam ita unam statuit, ut tribus personis communis sit, is ea vult perscrutari, quæ, ut vera non sunt, sic vera esse nullo modo possunt, & hominibus vult persuadere, ut cum ratione insaniant. Inter alios Arium, circa negotium S. Trinitatis gravissimè lapsum esse affirmas. Hoc, si de doctrina de Patre Filio & Spiritu sancto intelligis, verum quidem est, ut in responsione ad theses docui: Sed si de dogmate Trinitatis, quale vos jam sectamini, id accipias, quàm graviter ipse erres, credo te intellecturum, si, quæ ea de re ibidem scripsi, diligenter perpenderis.

Demitrovitii error. I.

II.

Servetum meritò crematum esse asseris. Ergo & vestros meritò mille mortibus mulctant Pontificii. Tam enim blasphemi estis apud illos, quàm erat Servetus apud vos. Egregii verò Spiritus Christi fructus, & acuta, scilicet, charitas, quæ lex est βασιλικός, rogis fratres errãtes imponere. Gentili de ejectione ex Polonia insultas. Quasi, ob veritatem exilio multari, non sit gloriosum, & idem etiam vestris alibi non acciderit? Gentilis ante signanos facis, Fran: Davidis, Lælium Socinum, F. Stancarum, Petrum Statorium, Faustum Socinũ (quẽ & Lælii filium facis, cùm is patruus illius esset, pater verò Alexander) Ostorodum, me, Licinium & alios. At horum quidam, Gentili jam e vivis sublato, demum inclaruerunt, quidam post ejus obitum nati demum fuerunt, & ab istiusmodi probrosis vocibus, quibus gentilem usum fuisse quereris, prorsus abhorrent, ut ex responsione mea percipere potes. Quomodo igitur Gentilis antesignani dici possunt?

Demitr: animi non Christiani argumenta. I.

II.

Incogitantia Demitrovitii.

Omnes deniq; modò nominatos, monstrosa capita, pro tua modestia, appellas, quorum eruditionem & pietatẽ, dum in vivis essent, mirabãtur ii, qui eos norant, & mirabitur multò magis futura ætas, ut pote quæ de rebus semper rectiùs judicat quàm præsens: Qui verò vivunt, ii id unicè agunt, ut secundum Christi Evangelium sapiant & vivant. Hoc verò qui faciunt, illi a monstrosis opinionibus semper tuti futuri sunt. Itaq; monere te fraternè volui, ne per alienam infamiam tuam quæreres gloriam: sed si, quod nos sentimus, recipere nondum potes, idẽ tibi evenire posse, quod nobis evénit, qui non minùs quàm tu, sentẽtiæ istius de Trinitate vestra, sanguine etiam nostro confirmãdi, ardore olim tenebamur, crederes; & quia servus tantùm Domini és,

Demitr: immodestia.

Adhortatio ad Demitr: fraterna.

REFUTATIO

Eorum, quæ ad hanc materiam pertinentia, præter ea, quæ à D. Schoppero dicta sunt, attulit contra nos HERMANNUS RAVENSPERGERUS S. T. Doctor & Professor in Schola Benthemensi.

OMissis aliis parum rectè dictis in thesibus & exegesibus illius, quæ, si examinare omnia voluissemus, liturâ inducenda ferè fuissent omnia, in ea tantùm breviter animadvertemus, quæ ad probandam contra nos Christi fictitiam divinitatem, vel tres divinitatis personas afferuntur.

1. Est, quòd fol. 2. in exegesi thesi 1. ait, verba Christi, Ioh. 17. v. 3. ita legi posse: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te & quem misisti Iesum Christum, esse solum illum verum Deum*, idq; ideo, quòd v. 5. dicatur, Christum habuisse gloriam apud Patrem, antequam mundus esset. Hoc quàm futile sit, docuimus in responsione ad scriptum Ravenspergeri, *Vnum par Sophismatum Socinianorum* &c.

2. Quòd si, ita legantur, ut legi debent, & nos ea legimus, decipi nos ait fallaciâ non causæ ut causæ. Veram enim causam non esse, quòd tãtùm sit una persona in essentia Dei, nempe patris: sed quòd ad vitam æternam consequendam, nõ sufficiat, separatim cognoscere naturam Dei in essentiæ unitate & personarum trinitate, sed necessum sit conjunctim scire, quis & qualis sit Deus, quis item & qualis sit Christus, quorum postremum priori inseparabiliter cohæreat &c. Cùm igitur dicitur *Solus*, distinctione illa non opponi Categorematicè personam unam alteri, quæ essentia divina communicet: sed Deum solum verum, omnibus falsis & fictitiis, qui veri non sunt, sed falsò dicuntur dii, syncategorematicè opponi. Id verò ex eo, ait, perspici, quòd Christus non simpliciter dixit *solum Deum*, sed *solum verum*, ut falsos omnes excluderet. Ad Patris autem personam si illud restringeretur, profectò concludi, Christũ non esse verum Deum, contra *verba Scripturæ*, 1 *Ioh. 5. ℣ vult.* Hîc primùm Ravensp. rogatum velim, quod etiam a D. Gravero petii, ut paulò attentiùs secum cogitet, quid, ex mente Aristotelis, sit fallacia non causæ ut causæ. Procul enim dubio intelliget, paulò aliter rem se habere, quàm hæc ipsius verba produnt. Et hoc non tam meâ quàm Ravenspergeri causâ rogo, ne ab aduersario malevolo ea in re carpatur & exagitetur. Deinde verò dico, verum quidem esse, ex Christi verbis apparere, quòd non sufficiat ad vitam æternam cognitio Dei, sed necesse sit conjunctim scire, tum quis & qualis sit

De fallacia non causæ ut causæ.

qualis sit

In quo consistat cognitio Dei.

qualis sit Deus, tum quis & qualis sit Christus: sed falsissimum vel saltem nimis controversum est, cognitionem Dei consistere in cognitione naturæ ejus, in essentiæ unitate,& personarum Trinitate,quod ait Ravensper. Hæc enim personarum Trinitas ex nullo sacrarum literarum testimonio, vel justa ratione probari ullo modo potest. Simile huic illud est,quòd,cùm dicitur *Solus*,non opponatur persona unaalteri,quæ essentiâ divinâ communicet. Quasi scilicet jam constet plures unâ personas esse,quibus essentia divina competat,quo vix aliquid falsius excogitari potest. Cùm essentia divina numero sit una. Communicare autem illud, unitatem numericam prorsus tollat. Hoc modo alii nobiscum disputant,qui vel modum disputandi non intelligũt, vel sola nos autoritate humana premunt,quorum utrumq;a Ravensp. abesse debet quam longissimè, tum ob eruditionem,tum ob professionem ipsius.

Vox Solus cui opponi possit.

Vocem porrò *solum* opponi diis falsis, nihil juvat Ravensperg. Potest enim suo modo etiam Christo opponi, cùm certo certius sit, Christum,etiamsi sit verus Deus, non esse tamen *illum* verum Deum, ut Christus de patre suo,articulo ad vocem ἀληθινὸν addito,ait; nec verum illum Deum uspiam scriptura Christum appellat. Quod enim ex Iohanne affertur,id quàm sit infirmum,imò falsum, docuimus in responsione ad thesin Schopperi 55.

1 Ioh.5.

Sed habet quædam nova Ravensp. quæ operæ pretium erit examinare. 1. est, dum ait: *Si nec filius verus Deus esset, debebat & de illo admonere, ne pro vero Deo adoretur.* Hæc ratio calva est,& causam Ravensp. evertit. Calva est, Quia non est ita contrarius Christus, & cultus qui ei debetur, Deo & cultui ejus, ut sunt idola: imò in cultu & adoratione Christi,continetur cultus divinus,quemadmodum in fide,quæ Christo tribuitur,fides in Deum collocanda continetur, teste ipso Christo,Ioh.12.v.44.adeo,ut etiamsi diversi sint essentiâ Christus & Deus, pro uno tamen Deo haberi suo modo possint. Causam Ravensp. destruit. Nam si Iohannes monere debuit de Christo, apparet, eum non appellasse Christum verum illum Deum.Nam si appellasset, quorsum opus fuisset admonitione, cùm verus Deus opponatur Idolis. 2. est.quòd pronomen *Hic* negat in hoc loco ad remotius referendum esse, idq; confirmare ait tum rationes sequentes, tum quòd primarium, imò unicum versiculi illius 20 subjectum sit, Filius Dei Christus, de quo reliqua omnia prædicari certum sit. Hîc obscuritatem & perplexitatem verborum Ravensp. accuso. Nam duo videtur afferre velle, ob quæ vox *hic* non possit ad remotius referri, quorum alterum sint sequentes rationes, alterum, quod hic recenset & alia sequentia

Christus ad cultum divinum pertinet.

Obscuritas Ravensperg:

quentia duo, de quibus mox agemus. Iam si hæc tria quæ recenset, sunt istæ rationes, quomodo rationes ab istis tribus separantur, vocibus, tum, tum? Si non sunt hæc tria, quæ recenset, rationes istæ sequentes, ubi nám sunt, præter hæc tria, rationes aliquæ? Sed videamus hæc tria, sive sint ipsæ rationet, quas sequentes Ravensp. vocat, sive non. Respondeo ad primum. Nihil ad causam Ravensp. juvandam elici potest, etiamsi primarium vel unicum v. 20. subjectum sit Iesus Christus, si non constet, eum hîc verum Deum appellari. Eatenus enim subjectũ illius versiculi est Christus, quatenus venit, & mentem nobis dedit, ut cognosceremus verum illum Deum, & quatenus sumus in illo vero, per ipsum Christum filium ejus. Hæc verò omnia non permittunt ullo modo, ut Christus sit verus ille Deus. Alium enim esse oportet filium Dei illius veri; alium item qui venit & dedit nobis mentem, ut cognosceremus illũ verum Deum; alium deniq; per quẽ sumus in illo vero, ab ipso vero Deo, cùm nemo sui ipsius filius sit; nec alium Deum Christus cognoscendum nobis dederit, quàm patrem suum; nec deniq; in alio Deo simus, per filium ejus Iesum Christum, quàm in patre.

Differentia Christi a Deo patre.

2. Ratio Ravensperg: est, *Quòd supervacanea eßet aßertio, si de Deo Patre intelligeretur. Dixerat enim Iesum dediße nobis mentem, ut cognoscamus verum illum Deum, cur nunc subjiceret, Hic est verus Deus?* Sed primùm quid usitatius est Iohanni, quàm eandem rem iterare, & interdum fere iisdem verbis? Deinde non prorsus eadem sunt, quæ dicit Iohannes. Priùs enim simpliciter dixerat, Filium Dei venisse, & dedisse nobis mentem, ut cognosceremus Deum illum verum; dixerat etiam nos esse in illo vero, in filio ejus, hoc est, per filium ejus Iesum Christum: Deinde verò illud, quod semel nudè dixerat, confirmare ista iteratione voluit, & credentibus probè inculcare, ut scirent, hunc, quem filius Dei annunciavit, & in quo illi erant, hoc est, cujus populus effecti fuerant, hunc, inquam, & neminem alium, esse verum illum Deum, adeoque vitam æternam, quod antea dictum nõ fuerat; & proinde ab aliis falsis diis cavendum esse. Denique, quinám sensus horum verborum alius etiam esse possit, docuimus in jam dicta responsione ad theses Schopperi, qui si verus est, ut certè videtur, agnoscet Ravensperg: hanc suam rationem nullius prorsus esse momenti.

Cur Iohannes idem repetat.

3. Ratio est. *Quia verba sequentia, & vita æterna, juxta perpetuum Iohannis loquẽdi modum, de Christo accipienda, ℣ 11, 12, 13, & cap: 1. 1, 2. sic ut optimè finis Epistolæ initio respondeat. Ergo & antecedentia, quæ immediatè cum sequentibus cohærent, de eodem intelligenda.* At hæc ratio infirmissima est. Quid enim impedit, quominùs verba ultima, *Vita æterna* de Deo patre intelligantur, cùm is sit causa illius prima? vel quo minùs

conjunctim de utroque dicatur: *Hic est verus Deus & vita æterna*, quatenus, qui cognoscit Christi Patrem & ipsum Christum, habet & illum verum Deum & vitam æternam. Quanquam etiam nihil est, quod cogat, verba Iohannis cap: 1. 1. de ipsa Christi persona intelligenda esse, cùm aptissimè de ipso Evangelio vel in eo contenta felicitate intelligi possint. de cujus perfecta cognitione in illis, figurato quidem sed valdè emphatico modo, D. Iohannes agat, quod præter alia articulus neutrius generis, quod, quinquies positus, unumquemque docere potest, qui locum diligenter inspexerit. Sed non est nunc de eo disserendi locus.

Joh: 1. de ipsa vita æterna sermo est.

Quæ in th: 2. dicuntur, Deum esse spiritum unum & trinum, quàm sa sint, ex sequentibus constabit. Quàm rectè in exegesi natura ab essentia distinguatur: quàm rectè, species bonitatis in Deo, sapientia constituatur, judicent eruditi, quibus veritas divina cordi est. Imò, quòd ad prius attinet, videat ipsemet Ravenspergerus, quomodo sibi constet, qui in 4. thes: exegesi dicit, vocem Græcam θεότης, naturam sive essentiam significare.

Quæ in exegesi thes: 4. disserit de vocibus, quibus in explicando dogmate Trinitatis, qualem ipsimet confinxerunt, utuntur adversarii, ea scrupulosè non examinamus. res enim magis quàm verba curamus: Non possumus autem non reprehendere, quòd, dum nos rebus ipsis, si probentur, contenti sumus, voces etiam se probare posse adversarii confidant, quod tamen nunquam præstabunt, ut alii insignes Theologi confitentur.

Quàm falsa sit thesis quinta, quâ affirmatur, non tantùm Patrem, sed etiam Filium & Spiritum sanctum esse verum, nempe naturâ, & perfectum Deum: & rursus horum trium esse eandem essentiam, & eos esse unum tantùm Iehovam, ex iis, quæ ad theses Schopperi prolixè respondimus, unicuique constabit. In hujus exegesi notandum est, distinctionem illam, quâ dicitur, nomen Dei sumi aut propriè aut impropriè: impropriè rursus, tum nuncupativè, tum concessivè per mimesin, parum accuratam ac rectam esse. Primùm enim vox Dei nō est propria, sed appellativa, ut loquuntur, & significat eum, qui divinam habet potestatem & imperium. Hoc verò quia Deus ille unus habet modo omnium excellentissimo, nempe naturâ ex seipso, ideo κατ᾽ ἐξοχὴν sive per excellentiam vox Deus ita illi tribuitur, ac si ejus propria esset. Deinde falsum est, vocem Dei concessivè per mimesin tribui illis, qui nullam revera potestatem divinam habent. Nec id loco 1. Cor: 8. 6. probari potest. verba enim illa, *Etiamsi sint, qui dicantur Dii, sive in cælo sive in terra, sicut sunt dii multi & domini multi*, non ex

De significationibus vocis Deus.

gentium

gentium opinione, ſed ex mente Apoſtoli dicta eſſe, alibi a nobis demonſtratum eſt prolixè, in reſpõſione ad Monſtra a Smiglecio Ieſuita conficta, & repetitum in reſponſo noſtro, quod edidimus ad ſcriptum Ravenſp: cujus titulus eſt: *Vnum par Sophiſmatum*, &c. Porrò falſum eſt, impropriè illis nomen Dei competere, quibus competit per analogiam. Tam enim propriè illis competit, quàm aliis, licet modo minùs excellenti; nec analogum proprio opponitur unquam, ſed imperfecto. Quis dicat, exempli cauſâ, Reges impropriè imperare hominibus, Deum propriè? cùm tam reges, quàm Deum propriè imperare nemo non videat? Denique parum eſt dicere, illis, quibus vox Dei competit per analogiam, competere eam nuncupativè. Nam quod per analogiam alicui competit, id reipſa illi competit: quod verò nuncupativè, id reipſa non poteſt competere. Reſtat igitur dicere, vocem Dei duplicem tantùm habere ſignificationem: Et ſignificare modò eum, qui ex ſeipſo poteſtatem divinam habet; modò eum, qui ab aliis eam habet ſecum communicatam. Deinde in eadem exegeſi Tritheitas refutaturus Ravenſp: quædam dicit, quæ examine indigent. 1. eſt, quòd nomen Iehovæ ſit nomen eſſentiale, & ita Dei proprium, ut præter Deum conveniat nemini. Ad hoc primùm legatur, quod in reſponſione ad *Vnum par ſophiſmatum*, &c. ex Brentio de voce Iehova attulimus. Is enim aliter prorſus ſentit, & eos accuſat, qui ad eſſentiam Dei nomen illud referunt. Deinde obſervetur, attuliſſe quidem Ravenſp: loca, in quibus nomen Iehova Deo tribuitur, ſed nullum, in quo dicatur, quòd nomen illud ſolius Dei proprium ſit. Taceo ineptiam concluſionis Ravenſp: dum ait: *Nonnè hinc clariſſimè docetur, Iehovæ nomen eſſe illius proprium, qui totum regit mundum, & perinde non convenire ulli creaturæ.* Iam enim cum Tritheitis illi res eſt, qui non creaturas eſſe illos aſſerunt, quibus præter Patrem nomen Iehovæ competat, ſed Deos. Loco etiam Eſ:42.8. vis quodammodo illata eſt iſta interpretatione: Ego ſum Iehova, hoc eſt nomen meum: *& hanc* gloriam meam alteri non dabo, & hanc laudem meam ſculptilibus. Nec enim conſtat, gloriam, quam Deus alteri dare non vult, eſſe illud nomen Iehovæ: Sed duo dici videntur, nempe quod ſit nomen Domini, & quid Dominus ille non facturus ſit; & verba priora, *Ego ſum Iehova, hoc eſt nomen meum*, attentionem quandam ſequentibus parare videntur. Quanquam etiamſi laus illa, quam Deus negat ſe daturum alteri, ſit illud nomen Iehovæ, nihil hoc facit pro Ravenſp. Poſſe enim nomen Dei eſſentiale etiam aliis tribui, qui Dei illius perſonam ſuſtinent, notius eſt quàm ut probatione egeat.

Iehovæ nomen non eſt eſſentiale, nec Dei proprium.

Sed assumit Ravensp: Nomen illud Iehovæ Filio & Spiritui sancto simpliciter & propriè tribui. De Filio respondemus. 1. Etiamsi illud fieret, hinc tamen non sequi, eum esse ipsum Iehovam, ob caussam paulò antè allatam. Nam si de aliis, qui filio Dei multò sunt inferiores, legimus, eos nomen Iehovæ usurpasse, quid mirabimur, si idem etiam de Christo dicatur? 2. Deinde illud factum esse, nondum probavit Ravensp:. Nam quod affertur ex loco Es: 6. de ter repetita voce Sanctus, id quam futile sit ad hoc ostendendum, suprà in responsione ad th: 29. ostensum est. Quod verò hîc additur, id confirmari loco Ioh: 12. 42. non minùs infirmum est. Ibi enim tantùm dicitur, quòd Esaias viderit gloriam illius, & locutus sit de illo. Potuit autem Esaias Christi gloriam videre, ut futuram, & de eo loqui, ut futuro. Hoc enim Prophetarum est propriū. Potest etiam vox *Ejus* & *Eo* non de Christo, sed de Deo intelligi, & referri ad remotius, non ad prius. Vide c. 9. 22. de voce *Eū*. Vnde etiam Robertus Stephanus legit exprefsè τοῦ θεοῦ. De Spiritu verò sancto, illud idem dici Act. 28. 25. & captiosè dictū est, & ad rem nihil facit. Non enim ibi dicitur, Esaiam de Spiritu S. locutum esse, cùm ista verba protulit, quæ ibi habentur, quod probandum erat Ravēsp: sed tantùm dicitur, Spiritum S. locutū esse per Esaiam ista verba. Ex eo verò, quòd Spiritus S. verba illa dixit, non sequitur verba illa de Spiritu S. dicta esse. Sicut nec ex eo, quòd verba illa dixit Esaias, ut est apud Iohannem in loco citato, sequitur ea de Esaia dicta esse. Quòd verò Spiritui S. ibi tribuatur loquela, id figurato loquēdi modo fieri posse, etiamsi persona non sit, ea exempla docent, quibus etiam scripturam & Abelis sanguinem loqui affirmatur. Videat igitur, Ravensp., quomodo in fumum abierit Syllogismus ipsius, quem annexit, cùm assumtio partim falsa sit, partim inconsequens. Falsa, quòd Filius & Spiritus S. verè sint Iehova. Inconsequens, quòd, etiamsi vel ita appelletur Filius, vel idem Spiritui S. tribuatur, quod de Iehova prædicatur, hinc tamen non consequatur, vel Filium vel Spiritum S. esse Iehovam. cùm Filio id nomen tribui possit, quia personam Iehovę sustineat: Spiritui verò S., quia Dei virtus sit.

Christo nomen Iehovæ quatenus competere possit.

Exod. 3. 2. Act. 7. 30, 31, 33.

Spiritus S. nō appellatur Iehova.

Gal. 4. 30. Heb. 12. 24.

Vnitatem porrò essentiæ divinæ testimoniis ex novo Testamenti adductis, concludi ait, sed captiosè. Nam non de unitate essentiæ divinæ simpliciter, sed quatenus ea tribus personis competit, dicere cœperat. Ephes. autem 4. 5, 6, tantùm unius Dei & patris omnium fit mentio. 1. Timoth. 2. 5. unius Dei & unius mediatoris Dei & hominū, hominis Iesu Christi. Ioh, 10, 30 de Christo & patre dicitur, quòd unū sint, sed quòd Essentia unum sint, probari hactenus non potuit. c. 14, 10, Christum in Patre, & Patrem in Christo esse dicitur, sed unitas Es-

sentiæ

sentiæ hinc nullo modo probatur, ut alibi docuimus in refutatione *Vnius paris Sophismatū* &c. Mirum igitur est, cur tanti viri rerum controversarum tam obliquam, imò obscuram & perversam instituant probationem. Sed tandem illustrem locum affert, 1 Ioh. 5, 7., ex quo unitatem Essentiæ, in trib⁹ scilicet personis, probare annititur. Vnde cōstat, me rectè ab initio captionis accusasse Ravensperg. Duo autem momenda in hunc locum ait: Ejus certitudinem & expositionem. De certitudine disserturus, ait, versiculum hunc non esse ab homine additum; & accusat Arium, qui hunc versiculum e Bibliorum codice ejecisse fertur. Sed bene est, quòd *fertur* Arius ejecisse. Multa enim solere dici, quæ falsa sunt, præsertim ab aduersariis malevolis, quis est qui nesciat; & mendacium hoc impudentissimum esse, quivis sensatus facilè conjectare potest. Sed audiamus, quomodo probet Ravensp., eum ab Apostolo esse conscriptum. 1. ait, *confirmat id cohærentia contextus* ỳ 8. *καὶ τρεῖς εἰσιν, quæ copula inepta esset, nisi quædam inter versum 6 & 8 intervenirent.* Sed magnum hoc est negligentiæ Ravensp. argumentum. Nam in exemplaribus, quæ versiculo isto carent, aliter habent illa verba, nempe in hunc modum: *Hic est qui venit in aqua & sanguine, Iesus Christus, non in aqua tantùm, sed in aqua & sanguine, & Spiritus est, qui testatur. Nam Spiritus veritas est. Nam tres sunt, qui testantur in terra, Spiritus, aqua & sanguis.* 2. Est. Testimoniorū duorum eandem rem confirmantium oppositio, Terreni scilicet, & cœlestis. *Cur enim*, ait, *tres testimonium dare in terra dicerentur, nisi testimonii dati in cœlo mentio facta fuisset?* Sed & hoc ejusdem valoris est. Nam in plerisq; exemplaribus, quæ versiculo isto carent, desunt etiam illa verba, *In terra.* Videatur versio Iunii & Tremellii, & Erasmi annotationes in hunc locum, qui ait: *In græco codice tantùm hoc reperio de testimonio triplici: Quia tres sunt, qui testantur, Spiritus, aqua, & sanguis.* & Cyrilli affert testimonium, qui, contra Arianos dimicans, locum hunc omiserit, nō omissurus eum, si aut scisset, aut credidisset, hoc fuisse scriptum ab Apostolo. Videatur etiam judicium Theologorum Lovaniensium. 3. est. Consensus tum veterum tum recentiorum exemplariū. *Habēt enim*, ait, *hæc verba, præter Syriacum exemplar, correcta exemplaria omnia, Legit eadem Hieronymus, Cyprianus, Britannicus codex, Complutensis editio, & vetusti Rob. Stephani libri.* Primùm falsum est, quod dicitur de correctioribus exemplaribus omnibus. Nam omnia ferè exemplaria Græca, & antiquiora latina, verba illa non habent; Syriacæ etiam versionis autoritas non postrema est: Illis verò, qui verba ista legunt, opponi possunt tot autoritates veterum & recentiorum, ut meritò eos pudere debeat, qui contrarium

De loci 1. Ioh. 5. corruptione.

affirmant. Vni enim Hieronymo (nam Cyprianum non meminit) opponit Beza, Nazianzenum, Athanasium, Dydimum, Chrysostomum, Hilarium, Cyrillum, Augustinum, Bedam. Plerosq; horum Erasmus etiam commemorat, & alia multa scribit, unde apparet, verba ista prorsus esse suspecta & adulterina.

Sed nunc expositionẽ loci hujus, tempus est, ut examinemus. Nam etiamsi, ut hactenus ostendimus, locus sit suspectus, tamẽ admissus etiam, nihil adversarios juvat. De Scopo non est, quòd dicamus quippiã. Omnib: enim notum est, Iohannem causas afferre, quare credere debeamus, Iesum esse Christum. Per Verbum, Christum intelligi non diffitemur. Per spiritum S. intelligi tertiam personã Trinitatis, quod vult Ravensper., tam diu falsum erit, donec probetur, Spiritum S. esse personam. Credimus autem, intelligi per spiritum, non tantùm miracula, sed istas etiam divinas operationes, quæ, tum Christo in terris degente tum exaltato, in Apostolis & in aliis fidelibus apparuerunt. Sed quæ tandem unitas horum trium esse statuitur? Testimonialis, ait Ravensp. & essentialis. De priori sola sermonem esse nos contendimus, qua in re non paucos habemus a partibus nostris Theologos, ut ipse etiam Ravensp. fatetur. *At*, ait, *ex unitate consensus unitas voluntatis, ex unitate voluntatis unitas essentiæ magis concluditur quàm negatur.* Hoc si verum sit, jam non ex his verbis, sed ex eo, quod illa significant, unitas essentiæ in tribus personis colligetur. Sed falsum est, ex unitate voluntatis, concludi essentiæ, præsertim numero unius, unitatem. Si aliunde constaret, essentiæ unitatem in tribus personis dari, posset fortasse, per quandam conjecturam, hic locus etiam eò pertrahi: At non probata ista essentiæ unitate in tribus personis, tacita est principii petitio, ab unitate voluntatis ad unitatem essentiæ argumentari.

De sensu loci 1. Ioh: 5.

Sed argumentum contra nos habet Ravensp. tale: *Hi tres testes aut sunt tres personæ substantiæve, aut tria accidentia modive. Posterius dici non potest. Ergo dicendum prius.* Respondeo majorem esse falsam. Possunt enim hi tres testes, nec accidentia modivè esse, nec tres personæ aut substantiæ, sed possunt esse quidam personæ, ut Pater & verbum, tertius res. ut etiam testes sunt, Aqua, sanguis & Spiritus. Deinde possunt esse testes quidam personæ: nec tamen personæ pares prorsus, & æquè divinæ, ut est Pater, & verbum. Iam verò ad sententiam Ravenspergeri stabiliendam requiritur, tum ut sint omnes tres personæ, tum ut personæ prorsus pares & æquè divinæ. Hoc non considerasse Ravenspergerum miror. Nam, acsi Major esset ipsissima veritas, ita nullam ejus probationem affert, quâ tamen vix aliquid fasius dici potest. Sed præterea insulsa est ipsius altera illatio, quando sic ait: *Si tres isti testes sunt tres personæ, & tamen simul sunt*

Argumentum Ravensperg.

Responsio.

unum, sequitur, quòd vel unum sint consensu tantùm vel eßentiâ solum, vel utraq; parte simul. Non solùm eßentiâ, quia etiam consensu, quod est in confeßo: nec solùm consensu, quia etiam eßentiâ. Etenim si tres isti sunt tres eßentiâ: tres sunt eßentiæ, adeoq; Iehovæ. At Iehova Deus noster Iehova tantùm unus est. Devt: 6. Ergo tres illi etiam eßentiâ unum sunt. Primùm enim major iterum falsa est, cùm plures dentur species unitatis, quàm consensus & essentiæ, nēpe potestatis, ut in explicatione loci Ioh. 10. ostensum est. Deinde altera pars minoris, quando dicitur: *Nec solū consensu, quia etiam essentiâ,* quid est aliud, quàm desperata principii petitio? Et tamen nos ista audire ex ore istorum Dictatorū oportet.

Deniq; objectiones Tritheitarum Ravensperg. adjicit triplices, petitas nimirum vel ex scripturis, vel ex Patribus, vel humanis ratiocinationibus. *Et e scripturis quidem adducit, quòd eæ quemlibet istorum trium Deum appellent: Patres pluralitatem Deorum approbare: Rationes deniq; & ratiocinationes humanas idem confirmare ait.* Equidem Tritheitarum errorem detestor. Falsissimum enim est, Scripturam Spiritum S Deum appellare: Filium verò, etiamsi Deum appellet, nō tamen eodem prorsus modo appellat, quo Patrem. Hunc enim Deum naturâ & a seipso pronunciat: Christum verò talem, qui omnem divinitatem a Patre habeat: At refutationem tamen illorum, quam hîc instituit Ravensperg., non possum etiam non improbare. Primùm enim rationem rejicit, & eam ad mysterium de essentiæ unitate in personarum Trinitate esse vespertilionis ad solem oculum affirmat. Hoc verò cur non probavit Ravensperg.? Falsum enim esse vel hinc constat, quòd nihil sit in universa religione, quod rationi sit contrarium, licet multa sint, quæ eam superent. Præterea ex mente Tritheitarum non pro primario argumento id affertur, sed primùm scripturę, deinde Patres afferuntur, & deniq; ratio etiam subjicitur. Iam verò, si quid sit & scripturæ contrarium, & sententiæ Patrum & rationi deniq; ipsi, næ istud summè absurdum esse necesse est. Deniq; cur ipsemet Ravensp. suprà in exegesi thesi 5. fol. 9. argumenta ex ratione desumta affert ad probandum, Deum tantùm esse unum, si ratio nihil valet?

Ratio in religione quatenus valeat.

Deinde verò Ravensperg. ait: *In scripturis & apud Patres unum & Trinum non opponi privativè, quia de Deo utrumq; diverso respectu enuncietur. Vnum respectu essentiæ, Trinum respectu personarum. Non esse autem rem absurdam aut impossibilem, Tria eße unum, & unum Tria, diversis respectibus.* Vbi primùm fraus Ravensperg. detegenda est, qui scripturas cum Patribus ita copulet, ac si, ut scriptura errare nequit, sic etiam Patres errare nequeant: vel potiùs, ac si idem, quod Patres affirmant, affirment etiam scripturæ, de Deo scilicet utrumq; hoc

Lapsus Ravensperg: gravis.

hoc prædicari. Quod sanè in tanto viro vix est tolerabile. Novimus, Patres, præsertim eos, qui post Synodum Nicenam vixerunt, de Deo prædicare, quòd sit Trinus & unus, diverso respectu: Sed quàm graviter ea in re errent, abundè a nostris jam pridem demonstratum est. Et sanè dolendum iterum est, Ravenspergerum satis habuisse, affirmare, non esse rem absurdam aut impossibilem, unum Tria & Tria unum esse, quod tamen, si quid aliud, probandum fuerat. Quamquam hìc iterum dolus latet. Possunt enim Tria unum esse, sed non Essentiâ. Hoc n: est contradictionis implicatio. Sed dixerint, quid voluerint, Patres, dummodo id scripturæ non dicant, satis id nobis est ad repellendos omnes aduersarios. Eas verò non dicere, quòd in una essentia divina sint tres personæ, & rursus, quòd tres personæ sint una essentia, quod Ravensperg. verbis ambiguis, unum esse Tria, & Tria unum, tegit & involvit, jam ita constat, ut quidam ex aduersariis dicere coacti sint: se credere Trinitatē, non quòd scriptura dicat, sed quia non contradicat; & alius dixit: Trinitatis dogma ex solis sacris literis probari sine Ecclesiæ traditionib[9] non posse. Imò D. Graverus etiā, nuper in thesibus de Spiritu S. editis, confessus est, dogma hoc ῥητῶς ex sacris literis probari non posse.

Tria unum essentiâ esse non possunt.

Cardinalis Hosius.

Vujekus Iesuita.

Deniq; ad carecta turpiter profugit Ravensperg., & dicit, *aliam esse rationem hominum finitorum, aliam Dei; & canonem hic valere: Principia, quæ vera sunt de natura finita, non sunt transferenda ad naturam Dei infinitam, alioquin falsa sunt.* Iam igitur acquiescendum est, & relinquendus Ravensperg., quia sic controversiam concludit. Doceat verò, aliam esse definitionem personæ apud Deum, aliam apud homines, & non ita personam divinam esse essentiam individuam intelligentem, ut est humana. (Hac enim definitione admissa, necesse est multiplicatis personis, multiplicari essentiam.) Hoc verò quia impossibile est præstare Ravenspergero, unam in Deo ut essentiam, sic etiam unam tantùm personam agnoscat, & proinde unum Deum, quem scripturæ Patrem esse affirmant, unā nobiscum colat & revereatur: Christum verò pro eo, quem Deus ille unus Dominum nostrum unum effecit, ad summam Dei Patris gloriam & nostram consolationem, confiteatur.

Eadem ratio personæ divinæ quæ humanæ.

HACTENUS sectione prima de essentiæ divinæ Unitate se egisse ait Ravensperg:, qua perspicuitate, consideret Lector: Nunc ad probandam personarum Trinitatem, sectione posteriori transit. Videamus, quo successu. Prima thesi vocem Trinitatis jure usurpari docet. Hoc quidem nos non valdè impugnamus: Negamus autem ad hoc obtinendum requiri, quod asserere videtur Ravenspergerus, ista tria, quæ Trinitatis nomine appellantur, esse personas. Satis enim est, esse sive personas sive res. Deinde vocem ὑπόστασις Heb: 1. 3, personam significare, quia nulla ratione comprobat Ravensperg:, incertum & prorsus falsum censendum statuimus. Vox denique ὁμοούσιος pro barbara prorsus reputanda est, nisi probetur, essentiam Dei cũ aliquo communicari posse, quod, stante numerica illius unitate, ἀδύνατον prorsus est. Rem autem, ὁμοουσίαν scilicet, haberi Ioh: 10. & 1. Ioh: 5. quàm verum sit, ea, quæ in hac responsione dicta sunt, & in altera ad *Unũ par Sophisma*, &c. docere satis superq; possunt.

Ad Trinitatem non requirantur tres personæ.

Thesi 2. mysterii Trinitatis personarum in essentiæ divinitate probandam sumit, Necessitatem, Veritatem, Majestatem. Sed primùm parùm rectè distinctionem illam adhibet. Nam si necessitas istius doctrinæ, eaque ad salutem spectans, ut postea, semetipsum explicans, addit Ravensperg:, quid opus est de veritate ejus disserere? Quasi, quod ad salutem necessarium est, non sit etiam necessariò verùm. Saltẽ veritatem necessitati anteposuisset, & tolerabile hoc esset. Sunt enim multa vera, quæ non sunt necessaria: at nihil necessariũ est, quod idem non sit verissimum. Deinde nescio, quo fine ordinem horum membrorum postea Ravensperg: immutârit. Priùs enim de Majestate, quàm de Veritate disserit, cùm hanc priùs quàm illam proposuerit. Quæ in alio ferenda essent, at in Doctore maximè. Porrò antequàm istam necessitatem probet, frustrà id allegat, quòd nos fatemur, errorẽ circa personas in unitate essentiæ divinę per se nõ damnare. Potest enim damnare per accidens, quod per se non damnat. Ignorantia veritatis in multis extra salutis jacturam datur: at cõtemtus veritatis, in minimis etiam, semper exitialis est: Pręterea errare in quibusdam, licet arduis, non damnat quidem: sed eos, qui diversum sentiunt in rebus, quæ ad salutem præcisè non pertinent, hoc est, quæ in sacris literis ῥητῶς expressa non extant. (hæc enim sola sunt ad salutem simpliciter necessaria,) damnare, hoc ipsum damnationis causa facillimè esse potest. Quod quia timidè facit Ravensperg:, valdè probamus: Rogam⁹ autem, ut, quia expresse id in sacris literis expressum non extat, cuj⁹ causâ nos damnat, ulteriùs rem perpendat, & neminẽ eo nomine,

Lapsus aliquot Ravensperg.

Quatenus damnet dogma Trinitatis.

quòd tres in divinitate personas non credat, dummodo confiteatur Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum, condemnare vel contemnere audeat.

Deinceps assertionem nostram damnabilem esse, & veram salutis æternæ viam prorsus obscurare & impedire, probare aggreditur, hoc modo: *Qui negat Iesum esse Christum, mendax est, & Antichristus, negans Patrem & Filium. Atqui Sociniani* (sic nos ex animi impotentia appellat) *negat Iesum esse Christum. Ergo.* &c. Majorem concedimus. Nam Iohannis Apostoli est. Explicationem autem ejus, quid sit Negare Iesum esse Christum, quam affert Ravensperg., quòd mendax sit, nempe talis, de quo Iohannes loquitur, is, qui falsum de Iesu sentiat, puerilem & falsam esse contendimus. Potest enim aliquis falsissimum aliquid de Iesu sentire, nec tamen negare, eum esse Christũ. Ideoque & illud falsum est, quod porrò addit, *Mendacium igitur est, negatio veritatis de Iesu.* Nam & aliud est, Negatio veritatis, & aliud ignorantia ejus: & iterum aliud est, mendacium simplex, quod error dici potest, & aliud mendacium illud crassum, de quo Iohannes loquitur. His observatis, quæ per se facillima sunt, jam argumentum corruit, quod non Iohannis autoritate, sed Raven: explicatione nititur. Sed videamus probationem Minoris. Vbi iterum suas tantùm promit adversus nos glossas Ravenspergerus. Sed nec suo loco id facit; nec temeritate, quod dicit, caret. Non suo loco id facit. Nam semel explicasse, quid sit Christum negare, satis erat. Aut igitur hîc in minore id faciendum erat: aut absolvendum in majoris explicatione. Temeritate, quod dicit, non carere, hinc constat, quòd ait, eum negare Iesum esse Christum, *qui contra scripturas vel de persona vel de officio Christi malitiosè statuat.* Quis enim hominum scire potest, num aliquis *malitiosè* aliquid statuat de aliqua re? Sic scilicet conscientias etiam petunt, qui, quomodo errores suos probent, non reperiunt. In eodem luto hærens, dividit deinde negationem Christi in universalem & particularem, & hanc esse ait, *cùm quis ipsum fundamentum, hoc est officium vel personam Christi sophisticè impugnat, Christum suo honore spoliat, Christianos solido solatio privat.* Sed hæc omnia vel ineptè vel sophisticè dicuntur a Ravensperg:. Verùm est quidem, eum negare Christum, qui ipsum fundamenrum impugnat; verum est etiam, eum impugnare ipsum fundamentum, qui officium Christi impugnat: Falsum autem est prorsus, eum impugnare fundamentum, qui impugnat Christi personam. Nam sive quis neget Christum Deum esse naturâ, quod falsum est, sive hominem naturâ, quod verissimũ est, tamẽ fundamentũ ipsum non impugnat. Fundamentum enim (ut hoc semel dicamus)

1. Iohã. 2, 22, 23.

Error Ravensp.

Lapsus & errores Ravensp.

Quid sit fundamentum impugnare.

dicamus) est, credere Iesum esse Christum, nostrum Regem & Servatorem, promissis illius fidem habere, & præceptis illius obtemperare. Qui hoc credit, licet absurdum nescio quale de Christi persona sentiat, eum quidem graviter errare non dubitamus, fundamentum autem, nempe religionis, ab eo impugnari, non nisi inscitè dicitur. Adde, quòd, si is negat fundamentum, adeoque Iesum esse Christum, qui sophisticè Christi personam impugnat, jam tanti sceleris reus erit cum omnibus suis Ravensperg. Ii enim, quantumvis scriptura testetur creberrimè, Iesum esse hominem; & hominis titulum nemo tueri possit, nisi idem persona sit humana: tamen contra sacras literas & contra sanam rationem, negant, Christum esse personam humanam, quod ipse etiam Ravensperg: in suo, quem vocat, Christianismo confitetur. An verò hoc non sit sophisticum aliquid, ex voce Deus, quæ munus significare potest & solet, personam divinam elicere: & deinde, ne, quia Christus dicitur homo, duæ sint in illo personæ, dicere, illum quidem hominem esse, personam autem humanam non esse, sed hominem illum, (scilicet) subsistere in persona divina, judicet æquus lector. Citiùs enim persuaseris homini sensato, diem esse noctem, quàm hominem esse, qui non sit persona humana. & tamen hoc sentiunt omnes adversarii. Quo errore observato, totum de Christi persona commentum, quod illi sequuntur, corruit. Nam si Christus, quia homo est, persona humana est: jam divina persona esse nulla ratione potest. Essent enim duæ in Christo personæ, quod non tantùm absurdum est, sed etiam contradictionem implicat.

Ravensp: Christi personam sophisticè impugnat.

Iam si quis dicat, Christum etiam Deum esse, respondemus, Quia vox hominis non potest sine persona cuiquam tribui, necessarium esse, vocem Dei Christo tributam, non personam sed munus & dignitatem significare. Nullum enim datur tertium, vocis Dei, præter naturæ (ut sic nunc loquar) vel personæ & muneris significatum.

Christus est naturâ homo, Deus dignitate.

Præterea aliud est Christi officium impugnare: & opinationem aliorum de officio Christi impugnare, vel cum aliis in sententia de officio Christi non convenire. Officium Christi is impugnat, qui negat Iesum nos servare posse aut velle, & certò servaturum, hoc est, a morte æterna liberaturum & donaturum vitâ æternâ: At is, qui negat, Iesum nos hoc vel illo modo servare vel servaturum, is non officium impugnat, sed vel circa officii modum errat ipse, vel ab aliis circa illum modum dissentit. Error verò hic, dummodò id firmum maneat, Christum nos servare posse & velle, & tandem servaturum reipsa, nemini salutem per se adimere potest.

Quid sit Christi officium impugnare.

Christum suo honore spoliare, verè est, eum negare. Sed non o-

mnis honor, qui Christo tribuitur, quantumvis speciosus, Christi honor est: & non, qui honorem non talem Christo tribuit, qualem alii, Christum suo honore spoliat, sed, qui eum illi non tribuit, quo ademto, Christus esse nequit. Hac ratione olim Pontificii Evangelicis objectabant, quòd Sanctos & Virginem Mariam, honore suo spoliarent: nec tamen id quicquam curârunt nostri majores, persuasum habentes, se falsò tributum sanctis honorem, tantùm illis ademisse, relicto vero, qui illis debetur, honore, quatenus memoriam eorum beatam & sanctam habent. Illud deniq; nescio quid sapit, quòd dicitur, eum negare Christum, qui Christianos solido solatio privat. Hac ratione Pontificii etiam de vobis conqueri possent, qui Indulgentias Pontificis Romani rejecistis. Has enim pro solatio solido habent omnes Pōtificii; & si veræ sint, certè nullum eis solidius esse potest. Quod igitur Pontificis talia objicientibus respondere solet Ravensperg., hoc etiam nos, ipsi talia dicenti, regerere posse, tacitè secum cogitet.

Quid sit, Christũ honore spoliare.

His ita expeditis Ravensperg., quæ, quam sint fallacia & captiosa, puto jam constare, nos officium Christi impugnare, ait, dum Satisfactionem Christi pro nobis præstitam pertinaciter & contra clarissima scripturæ testimonia abnegamus. Sed *pertinaciter* nos id abnegare, quomodo is dicere potest, qui corda nostra non novit? cùm sæpe numero pertinax is esse videatur, qui constans est. Iam si is pertinax est, qui non patitur se a sua sententia avocari, pertinaces sunt omnes Evangelici, quos nec Pontificii nec nos a quibusdam erroribus ulla ratione avocare possumus. Deinde falsum est, testimonia scripturæ ulla, nedum clarissima extare, de satisfactione Christi pro nobis præstita. Nulla extare, libri nostri ea de re editi docent, in quibus, nullâ justâ cōsequentiâ elici dogma illud ex sacris literis posse, perspicue demonstratur. Clarissima non extare, id argumento est, quòd ad literam, ut ajunt, nusquam doctrina illa descripta extet. Quæ verò per consequẽtias deducuntur, ea clarissima esse dici nequeunt, & proinde nec ad salutem necessaria. Nihil enim ad salutem necessarium est, quod non sit non tantùm clarissimum, sed etiam iisdem verbis expressum in sacris literis. aliàs illis, qui consequentias non capiunt, quorum major semper fuit in Christi Ecclesia numerus, malè prospectum, imò actum de illorum salute prorsus esset. Deniq;, etiamsi clarissima extarent ejus rei testimonia in sacris literis, dici tamen non posset, illum, qui ea negat, negare, Iesum esse Christum, & fundamentum impugnare. Non enim, ut, quæ necessaria sunt ad salutem simpliciter, clarissima esse necesse est, sic vicissim, quæ clarissima sunt, omnia ad salutem sunt necessaria. Clarissima sunt multa: necessaria ad salutem simpliciter, pauca, imò pau-

Pertinaciam nemo facilè judicare potest.

De satisfactione Christi nulla nedum clara testimonia extant.

Non omnia quæ clarissima necessaria.

opponere conatur. Hoc nunc monebo: Ravensperg: nimis ineptire, dum dicit, posse nos quidem baptizari in verbo, seu per verbum gratiæ, additis etiam vocabulis Germanicis. cùm non de baptismo in verbo, seu per verbum gratiæ, sed de commendatione tantùm verbo gratiæ Dei, loquatur Apostolus, Act: 20. Quæ deinde scribit de loco 1. Cor: 8.6. quòd verba Pauli non exclusivè hîc, quoad Filium & Spiritum sanctum intelligenda sint, sed inclusivè: vocabulum Dei & Patris non ὑποςατικῶς sed ὀσιωδῶς hîc accipi: quæ denique de loco Ephes: 4.6. disserit, refutata sunt in responsione nostra, ad Vnum par sophismatum, in quo eadem dicit Ravensperg. *Inertia Ravensperg.*

Quæ affirmat thesi 9, nempe Patrem, Filium & Spiritum sanctum, esse coëssentiales & omnimodò proprietatibus essentialibus æquales, non est, quòd refutemus. Negatis enim personis illis, quomodo aliquid de illis jure prædicari potest?

Thesis etiam 10, quâ Patrem, Filium & Spiritum sanctum, ita inter se distinctos realiter esse, ait, ut unus non sit alius, quia falso nititur fundamento, nulla refutatione indiget. Distinctus quidem est filius a Patre realiter. Pater enim Deus naturâ est: Christus naturâ homo, munere autem Deus. Spiritus verò sanctus, siquidem in Deo ita est, ut in homine spiritus illius est, quomodo ita distinctus esse potest, ut sit persona, a Deo, cujus est spiritus, diversa? Sed hac de re nuper scripsimus plura in refutatione Disputationis D. Graveri de Spiritu sancto.





